AZ.
ele III
6

BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
166
A'
57
NAPOLI

[illegible]

2

DE IVRISDICTIONE PRAEFECTI

Academiæ literariæ Neapolitanæ in clericos, alioſque omnes illi ſubditos priuatiuè ad alios.

AVCTORE

IOSEPHO ROMANO

ADVOCATO NEAPOLITANO,

Ac Tribunalis Regij Capellani Maioris Fiſci patrono.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. III NAPOLI





Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Dom.

D. HIERONYMO
LA MARRA

Regio Capellano Maiori, & Academiæ literariæ Neapolitanæ Prefecto.

Ioſeph Romanus S. P.

ERrarem, profectò Illuſtriſſ. Domine, ſi tuam hic citiùs defendere præſumerem Iuriſdictionem, quàm patefacere: hæcque optima defenſio eſt, ſcilicet ob oculos ponere omnium, quæ nullius arma timent: eam ergo, quam in omnes Academię ſubditos priuatiuè ad alios habes, iuriſdictionem, defendam ſanè, ſed ab vmbris, vt clara vndique appareat, non à telis, quibus terreri valet nunquàm. Nec quæſo mireris, ſi vmbras habes æmulas, quas Sol ipſe quandoque habet aduerſantes. Cæterum, ſi magnanimi Herois eſt minima non deſpicere, benigno hæc pauca recipe animo, dum clariſſima Natalium nobilitas, innumeræ animi virtutes, & Religio exemplaris

te

te ſummum apud omnes demonſtrant Heroë; ſique Eruditorum turba adeò te dignoſcit fautorem, vt noſtram hanc Academiam à vetuſtate ſuo quaſi iam decore ſpoliatam, à te, non ſolùm antiquo redditam ſplendori, ſed vberiori fateatur decoratam, hæc, quæcunque ſint, protege, & defende. Vale.

NEapolitana Academia lucem vidit primam, vix ipſa Neapoli ædificata, vt deducimus ex *Pontano lib. 6. belli Neap. & Matthæo de Afflictis in conſt. Regni vtilitati num. 2.* quarè poſtquàm ſe celebrem vndique præſtitit ex ſcientijs omnibus, quibus ornata emicuit, vt habemus ex *Velleio Patercalo hiſtoriar. Rom. lib. 1. Horatio Lucio de priuil. ſcolar. in fine, ſub tit. de his, qui gaudent priuil. ſcolar. num. 23. & Borrel. de Præſtantia Regis Catholici cap. 40. num. 93. & 163.* Federicus II. Imperator anno 1244. multis eam dotauit priuilegijs, *ex Collenutio lib. 4. e Marino Freccia de ſubfeudis lib. 1. tit. de officio Magni Cancellarij nu. 16.* & Robertus Rex poſt centum annos eã reſtaurauit, eandemque poſt totidem ferè alios Alphonſus Aragoniæ Rex pæne collapſam antiquo reddidit ſtatui, tractuque temporis Regina Ioanna anno 1428. priuilegijs cumulauit, formamque tradidit doctorandi, graduandique. Quinimò Ferdinandus Rex, qui puer adhuc, & Iuuenis, lite- Neapolitanæ Academię origo, & celſitudo.

rarum ſtudijs, & potiſſimùm Iuri Ciuili dedit operam, illam nouæ reformationis ſtudio reddidit clariorem, ſuiſque ſumptibus inſignes profeſſores, præceptoreſque, Philoſophos ad eam deſtinauit, *teſte Paride de Puteo de Syndicatu in proœm. n.7.* Meritò igitur ab antiquis, & recentioribus ſcriptoribus laudata ſemper extitit; vt legimus apùd *Strabonem lib. 5.* teſtantem, Neapoli olim ob aeris puritatem celeberrimam extitiſſe Vniuerſitatem, & *Martialem lib. 5. ad Troianum* ſcribentem.

Et quas docta Neapolis creauit.

Hinc Imperator Federicus teſtatur quoque, Neapolim antiquam matrē fuiſſe, & ſtudij domum, apùd *Paridem de Puteo loco citato num. 4. & Lucam de Penna in repetitione l. final. ff. de iuriſdict. omnium Iudicum*, & Regis Roberti temporibus plurimi venere Iurecōſulti, intèr quos *Iacob. de Bel*; Quinimò DD. plurimi ex cæteris Italiæ ſtudijs ad Ciuitatem hanc venientes, iterùm examini ſubijciebantur, & reproba-

babantur inhabiles, vt ſcripſit *Nicolaus de Neapoli in l. ſed reprobari ff. de excuſ. Tutor.*

Hęc ergò tam nobilis, celebriſque Academia, licèt fortunæ iocis vexata, varijſque Regni tumultibus agitata occaſum quandoq; viderit, ad inſtar aliarum Europæ, quæ referuntur à *Patre Andrea Mendo de Iure academicô lib. 1. quæſt. 2. num. 15. & multis ſequentibus*; tractu temporis tamen ad antiquam, imò perfectiorem redijt obſeruantiã, cum noſtris temporibus iàm illam inſpiciamus adeò floridam, omnibuſque decoratam ſcientijs, vt dubitandum ampliùs non ſit, quìn ea omnes veræ Academię contineat perfectiones, quę ſtudium generale conſtituant, quales ſunt intèr cæteras, Aeris ſalubritas, ex *Tolòſano de Republica lib. 18. cap. 6. nu. 12. & Laurentio in ſuo Theatro in verbo academia pag. 31. lit. G.* commoditas legendi *l. vnica C. de ſtud. liber. Vrb. Romæ lib.* 11. *Laertius lib. 3. in Platone*, Frequens omnium concurſus *l. 3. §. penul. ff. de decurionibus. l. magiſtros C. de*

Pro-

Profeſ. & medic. lib. 10. *Alciatus reſpon. ſo* 91. *num.* 7. *Menochius conſ.* 80. *num.* 20. & *Pereira de Academia Literaria lib.* 1. *nu.* 7. 13. & 14. & tandèm, quod maximè intereſt, regalia priuilegia, *Federici in anno* 1244. *Ladiſlai*; *qui etiam Rectori Iuriſdictionem conceſſit in anno* 1390. & *Ioannæ II. in anno* 1428. & Pontificia approbatio, *teſte Marino Freccia de ſubfeudis lib.* 1. *cap. de officio Magni Cancellarij num.* 13. *cũ ſeqq.* Ne verò optatus deſit finis, vt dicit *Pereira loco cit. num.* 7. & 14. iam in illa verſatis, habilibuſque repertis doctoralis dignitas confertur, adeòq; nil prorsùs deeſſe videtur ad perfectæ Academiæ conſtitutionem.

Non debet Academia carere Rectore.

Non igitur carere debebat ſtudiorũ Præfecto, ne ſtudioſi Iudice carerent, ne ad alia traherentur tribunalia; ne deterioris eſſent conditionis Militibus, alijſque rationibus apùd D D. videndis relatos *ab Alphonſo de Eſcobar de Pontificia*, & *Reg. Iuriſdictione in ſtud. in Prologo num.* 15. *cum ſequentibus*, hìc conſultò relictis; proùt Aegiptiorum

tem-

temporibus inſpicimus; fuiſſe Sacerdotes deſtinatos regia authoritate Pręfe-ctos *in Theatro vitæ humanæ tom. 1. lit. A. verbo academia.*

Hinc legimus apud *Bernardum Scardeonum in hiſtoria Patauina*, Albertum Saxoniæ Ducem Patauinę Academiæ fuiſſe Rectorem, Georgium ab Andlau genere nobilem, aſt eruditione nobiliorem, Academiæ Baſilienſis à Pio II. anno 1463. inſtitutæ Rectorem, tantique æſtimati fuere à Principibus Rectores, vt habeamus, Ducem Barbantiæ Ioannem Bonum omne ius ſuũ contuliſſe Rectori, & Carolũ V. Imperatorẽ maximum ceſſiſſe locum Rectori in Academia Louanij, *vt in Theatro vitę humanæ loc. cit.* Noluerunt enim Principes, vt tanti mométi res inconſiderata remaneret. Quod ex eò patet, quòd Iuſtin. Imperator *in proœmio digeſtorum §. & hæc omnia penul.* tres Iudices conſtituit Beritenſium ſtudio, Præſidem, Epiſcopum, & Profeſſores, & Bizantinis, ſeù Conſtantinopolitanis ſtudioſis ipſum Pręfectum Vrbis

Antiquiores Academiæ Recto res celeberrimi.

vni-

Profeſ. & medic. lib. 10. *Alciatus reſpon. ſo* 91. *num.* 7. *Menochius conſ.* 80. *num.* 20. *& Pereira de Academia Literaria lib.* 1. *nu.* 7. 13. *&* 14. & tandem, quod maximè intereſt, regalia priuilegia, *Federici in anno* 1244. *Ladiſlai, qui etiam Rectori Iuriſdictionem conceſſit in anno* 1390. *& Ioannæ I I. in anno* 1428. & Pontificia approbatio, *teſte Marino Freccia de ſubfeudis lib.* 1. *cap. de officio Magni Cancellarij num.* 13. *cũ ſeqq.* Ne verò optatus deſit finis, vt dicit *Pereira loco cit. num.* 7. *&* 14. iam in illa verſatis, habilibuſque repertis doctoralis dignitas confertur, adeòq; nil prorsùs deeſſe videtur ad perfectæ Academiæ conſtitutionem.

Non debet Academia carere Rectore.

Non igitur carere debebat ſtudiorũ Præfecto, ne ſtudioſi Iudice carerent, ne ad alia traherentur tribunalia, ne deterioris eſſent conditionis Militibus, alijſque rationibus apùd D. D. videndis relatos *ab Alphonſo de Eſcobar de Pontificia, & Reg. Iuriſdictione in ſtud. in Prologo num.* 15, *cum ſequentibus*, hìc conſultò relictis, prout Aegiptiorum

temporibus inſpicimus, fuiſſe Sacerdotes deſtinatos regia authoritate Prefectos *in Theatro vitæ humanæ tom. 1. lit. A. verbo academia.* Hinc legimus apud *Bernardum Scardeonum in hiſtoria Patauina*, Albertum Saxoniæ Ducem Patauinę Academiæ fuiſſe Rectorem, Georgium ab Andlau genere nobilem, aſt eruditione nobiliorem, Academiæ Baſilienſis à Pio II. anno 1463. inſtitutæ Rectorem, tantique æſtimati fuere à Principibus Rectores, vt habeamus, Ducem Barbantiæ Ioannem Bonum omne ius ſuũ contuliſſe Rectori, & Carolũ V. Imperatorẽ maximum ceſſiſſe locum Rectori in Academia Louanij, *vt in Theatro vitę humanæ loc. cit.* Noluerunt enim Principes, vt tanti momẽti res inconſiderata remaneret. Quod ex eo patet, quòd Iuſtin. Imperator *in proæmio digeſtorum §. & hæc omnia penul.* tres Iudices conſtituit Beritenſium ſtudio, Præſidem, Epiſcopum, & Profeſſores, & Bizantinis, ſeu Conſtantinopolitanis ſtudioſis ipſum Prefectum Vrbis

Antiquiores Academiæ Rectores celeberrimi.

vni-

vnicum dedit Iudicem, & tandem Imper. Federicus *in authentica habita C. ne filius pro patre* duos ſtatuit Iudices, Præceptorem, & Epiſcopum, *ex Donello* 18. *commentariorum cap.* 2. *lit. G.* *Cuiacio obſer.c.*25. *& Oſſualdo* 17.*com. c.*20.*lit.K.* quamuis nonnulli adducti à *Barboſa de Iudicijs l.*1. *art.*4. *à nu.*140. *& Petro Gregorio de Republica lib.* 18. *cap.*20.*num.*2. *verſ. conſentiunt,* tertium addant, nempè ſecularem magiſtratum, alijque relati *à Rebuffo in d.auth. habita, & priuilegio ſcolaſticorum* 152. quartum, ſcilicet Dominum, quem explicant, Rectorem, vt apud *Marram de Iuriſdictione* 4. *parte centuria* 1. *caſu* 39.*nu.*1. *Oratium Lucium priuil.* 65. *in tractatu de priuileg. ſcolari: Rebuffum priuil.*159. *& Carleual. de iudicijs lib.*1. *tit.* 1.*diſp.*2. *quæſt.* 6. *ſect.*5. *num.* 481.

Verùm plerisque ſtudijs ad vnicum tantùm Rectorem iuriſdictio ad varias effugiendas difficultates redacta eſt, vt ex *Oſſualdo com.* 17. *cap.*20.*lit. K.ad principium*, proùt in noſtra hac Neapolitana Academia, qui ſtudij

Præ-

Præfectus appellatur, licèt priſcis temporibus diuerſis appellaretur nominibus, dùm Federicus Imperator magiſtrum Petrum de Hibernia ipſius ſtudij reformatorem voluit, vt ſcriptum reliquit *Paris de Puteo in tractatu de ſyndicatu in proœmio num.*4.

Tantæ ergo Academiæ Neap. eſt Præfectus hodiernus Ill. Dom. D. Hieronymus la Marra, genere, virtutibus, doctrina, moribus, æquè perſpicuus, qui voluit elapſo iàm anno clericum perſonalitèr coercere, eo quòd in legendo inſtitutis contrauenerat: vndè putarunt nonnulli contra communem cæterorum opinionem, non habere Præfectum in Clericum Iuriſdictionẽ illum perſonalitèr coercendi, cùm hæc ad ordinarium ſpectet. Ne autem opinio hæc, qualis ea fuerit, careret oppoſitoribus, non defuerunt infiniti propemodùm ſcriptores, qui calamũ pro tàm eximio Præfecto arripuerint. Et putabam certè, non debuiſſe tantam dari dotem articulo iàm præſcripto pro Academiæ Rectoribus, proùt ve-

Rector hodiernus noſtræ Academiæ.

Occaſio ſcribendi.

verè ex his ſcriptoribus nonnulli nullàm dedere dotem, dùm vix articulum tangentes, ad alia ſe eruditiora applicarunt. Quoniàm verò vel ex ſcribentium numero, vel ex vulgi apprehenſione dos nō modica data eſt, duxi tandèm, ad me tanquàm Fiſci Patronum ſpectare ſtudij ſimùl, & Ill. Domini D. Hieronymi la Marra Præfecti, & Cappellani Maioris defenſam: quarè, ne ad hunc tantùm articulum eius coarctarem auctoritatem, volui, arrepta occaſione, ni nimìs, aliquantò tamèn prolixè de eius authoritate peragere, tanquàm Præfecti; nàm tanquàm Cappellani Maioris, iàm video præſentis inſpectionis non eſſe.

Vt autem id diſtinctiùs, & clariùs expleã, videndum vtique eſt qualiſnàm ſit omnium Rectorum iuriſdictio in laicos, in exemptos, & in Clericos, ne affectatè videamur loqui tantùm de Academię Neapolitanæ Præfecto, pro quo tandèm ſpecificè loquemur. Sed ad hæc indaganda duo ſunt ſupponenda. Primùm, in Rectore Acade-

miæ dari iuriſdictionem, cum, ſi ius commune inſpiciamus huiuſmodi Rector Iudex ordinarius ſit, prout *Silua in ſumma verbo iuriſdictio verſ.4.Salicetus in authentica,habita:num.20. C.ne filius pro patre, Rebuffus priuilegio 69. 71.& 158.Lutius priuil. 65. & Barboſa in l. 1.art.1. nu.119.de Iudic.* nec vllam canonicam requirat confirmationem, niſi ad hoc, vt valeat excommunicare, *ex Innocentio cap.4. num.3. de officio ordinarij. Abbas quæſt. 6. num.9. verſ.reſtat Mariano Soccin. cap. 1. de foro competenti n. 17. & Nicolao Loſſæo de Iure vniuerſitatis part. 1. cap.2. à nu.71.* cæterùm ſufficit ſuperioris approbatio,vt *Decius in rubrica de officio delegati.* Cum enim Rectoris ſit, ſubditos ſuos corrigere, & coercere, ex *Gloſſ.in cap. cum dilectus de conſuetudine, & in cap. tranſmiſſam 15. de electione,* ſequitur euidentèr, hæc agere non poſſe abſque iuriſdictione, & quidèm ordinaria, *l. ſæpè 8. de officio Præſidis l.1. in principio iuncto §. initium, de officio Præfecti Vrbis cap. licet in corrigendis & cap.* Rector Academię veram habet iuriſdictionem,

 gra-

graue de officio ordinarij, *Pater Andreas Mendo de iure academico lib. 1. qu. 24. num. 492.* cum ei competat ratione dignitatis, & perpetui officij, ad differentiam iuriſdictionis delegatæ, quę alicui ad tempus ex delegatione competit.

Cùm verò intèr cætera Iuriſdictionis ordinariæ inſignia, ſit vniuerſitas cauſarum, hæc non deeſt Rectori; eò quòd eiùs authoritas ad certa cauſarum genera coarctetur, nempè ad regimen ipſius Vniuerſitatis; etenìm hoc ipſũ indicat iuriſdictionem ordinariam, poſſe ſcilicèt illum cognoſcere quicquid ratione profeſſionis ad illã Vniuerſitatem ſpectat; nàm, non eo quòd coarctetur iuriſdictio, deſinit eſſe ordinaria; latè *Alphonſus de Eſcobar de Pontificia & Regia iuriſdictione in ſtudijs generalibus, cap. 6. num. 23. cum ſequentibus.*

Prætereà, cum apùd Pragmaticos omnes receptum ſit, conceſſa Iuriſdictione ordinaria, intelligi quoque conceſsũ merum, & miſtum Imperium, ni ex-

preſsè prohibeatur; *ex Vaſquez Illuſtrium cap. 3. à num. 9. Cabedo 2. parte deciſ. 11. num. 9. Oſſualdo lib. 17. commentariorũ cap. 8. lit. A. A. A. & C. C. C. Cuiacio l. 131. ad finem, de verborum ſignificatione & l. 2. §. deindè cum ærarium, de origine Iuris, Suerip. rep. lect. cap. 6., Bodino 3. de Republica cap. 5. n. 302. Mathæo Stefano lib. 3. de Iuriſdictione parte 2. cap. 12. à nu. 97., Pacio in authentica habita C. ne filius cap. 9. nu. 13.* iàm Rector merum, & miſtum habet Imperium pro ſua tuenda Iuriſdictione; *cap. prætereà de officio delegati l. 2. de Iuriſdictione; Horatius Lucius priuil. 66. ad principium, priuil. 70. Ludouicus Gillauſius in arbore iudiciali par. 2. cap. 1. §. 3. num. 8. tom. 1. fol. 64. Io: Andreas in additione ad ſpeculatorem tit. de exequutione ſententiæ, §. nunc dicendum, nu. 12. lit. C.*

Nec obſtat aliquorum ſcribentium opinio; qui voluere, Magiſtratus Academicos non habere territorium, intèr quos *Oſſualdus lib. 17. com. cap. 9. lit. C. Palacius Rubeus in cap. per veſtras 2.* nota- — Ad ordinariæ iuriſdictionis exercitiũ non requiritur Territoriũ

notabili, verſ. ſed eſt pulchra n. 26. Barboſa l. cum Pretor. 12. §. 1. num. 46. de Iudic. & Boerius. deciſ. 227. num. 16. adeoque Iudicem ſtudioſorum non vocandum ordinarium, ſed innominatum, *ex Zaſio l. 2. de origine Iuris.* Nàm reſpondetur, nullo iure caueri, ad ordinariam Iuriſdictionem requiri territorium ſecundùm *Bald. in dicta authentica, habita C. ne filius nu.* 48. latè *Moneta de conſeruat. cap.* 7. *à n.* 41. Prætereà dici optimè poterit, hos Magiſtratus ſuum habere territorium, ſi illud circumſcriptiuè accipiamus, quatenùs ſcilicèt denotet locum, quo circumſcripta eſt iuriſdictio in certas perſonas, exemplo Romanæ Vrbis, in qua plures erant Iudices, ſinguli diuerſis cauſis prępoſiti, *ex Oſſualdo loco citato.*

Hinc, cùm interpretes Iudicibus ſtudioſorum territorium negarunt, ea intellexere territoria, quæ, ſecundum materialem veniunt ſignificationem, puta, cùm Ciuitas, vel Prouincia committitur, cæterùm, ſi ea voluiſſent, quę

ſu-

ſuperiùs enunciauimus; illos vtique erraſſe, eſſet dicendum. Quarè cauendum à *Bald. in cap. ſignificaſti, in fine verſ. quid de doctore, de officio delegati,* volente, vt hi Iudices nequeant eorũ exequi ſententias, eo quòd territoriũ non habeant; etenim, pretèrquàm quod eos habere territorium, ſuperiùs diximus, fallax eſt concluſio ab ea ratione deducta, dùm poſſunt Iudices delegati ſuas exequi ſententias, quamuìs territoria non habeant, *ex tex. eleganti in cap. præterea, de officio delegati.* prout *Moneta de conſeru. cap. 8. à n. 244.*

Secundò illud quoque ſupponendum eſt, in Academijs hanc adeſſe iuriſdictionem à lege, à priuilegio, & ab inueterata conſuetudine. Nam duobus modis ſtudia generalia erecta reperiũtur, Priuilegio, & Conſuetudine immemorabili, vt ex *Ortiga in patrocinio par. 1. num. 13. cum ſeqq.* quę vim priuilegij habet, *L. hoc iure §. ductus aquæ ff. de aqua quotidiana & æſtiua, vbi Cagnolus nn. 247.*

Iuriſdictio Rectoris habetur à lege, à Priuilegio, & à conſuetudine:

A lege quidèm; nàm ad inſtàr aliarum ſocie-

cie-

cietatum ſuper ſubditis, vt *in l.de militibus, ibi, ad eum remittantur, ſub quo militabant ff. de cuſtodia, & exhibitione reorum l.fin.C.de iuriſd.omnium Iudicũ, & ibi Bald. & Bart. reprobata ibi Gloſ.* Rector ex *Conſtit.Imp.Federici in Auth. habitã C. ne fil. pro patre,* habebit Iuriſdictionem, tàm ſupèr laicis, quàm etiàm ſupèr clericis, quatenùs iſti corpus Academicum integrent, vt ſentit *Benedictus* Pereira *in academia literaria lib.1. diſp.1. quæſt.2. num.22.* quamuìs etiàm non defuerit, qui ſenſerit, hanc conſtitutionem locum quoque habere in clericos vti ſingulos, tanquàm fauorabilem, & priuilegiatam, vt *ex Gloſ. in can.inolita 11.quęſt.1.*

A priuilegio,nempè à Principe ſeculari in laicos, & Eccleſiaſtico in Clericos ob conceſſionem, vel approbationem Sũmi Pontificis, quæ approbatio generaliter hodie pręſumitur in ſtudijs generalibus, vt *ex Abb.in quæſt.6. num.8. verſ.tertium & num.9. Mariano Soccino in cap.1.num.17. de foro compet.* & alijs teſtatur *Alphonſus de Eſcobar de Ponti-*

ficia

ficia & Regia iuriſdictione in ſtudijs cap.6.num.66.

A' conſuetudine tandèm immemorabili, ex *Suarez de legibus lib.8. cap.7.num.8. & 12.* quæ vim priuilegij habet, eiq; æquiparatur, *cap.nouit cap.ſuper quibuſdam §. prætereà, de verborum ſignificatione*, nedùm in laicos, ſed etiàm in clericos; nouum enim non eſt, nomine priuilegij generalitèr ſumpti poſſe venire conſuetudinem, quę ſanè in ſubiecta materia per omnia Italię ſtudia ſeruatur, cum Rector vndique queat iuriſdictionem in Clericos exercere, ex *Soccino in cap.1.num.17.verſ.& eſt conſuetudo, de foro competenti*: eſtq; ratio, quià conſuetudo nedùm ſecundùm iura ciuilia dat iuriſdictionem, *l.1.in fine C.de emãcipatione liberorum l.2.quæ ſit longa conſuetudo; can.in his 11.diſt. cap.ex literis, de conſuetudine, cap.1.de officio ordinarij, cap. cum contingat, vbi Panormitanus, de officio ordinarij, Toloſanus lib.7.cap.11.n.88. Conradus in templo omnium iudicum lib.1.cap.1.§.4.in verſ.iuriſdictiones cõcedit num.1.& 2. Io: Franciſcus Pauinus*

nus, de poteſtate cap. Sede vacante par. 1. *principali quæſt.* 2. *Nicolaus Boerius in conſuetudine Butiric. tit. de iuriſdictione omnium Iudicum* §. 1. *Caſſaneus in conſuetudine Burgund. rubrica* 1. *in verbo es Droicts ducelles nu.* 101. ſed etiàm ſecundùm iura canonica Rectori clerico capaci, *cap. ad noſtra, de conſuetudine, cap. cum contingat, ibi indulgentia, vel conſuetudine ſpeciali, de foro competenti: cap. dilecti, ibi Iuſta conſuetudinem approbatam, de arbitr. cap. videtur, ibi tàm antiquam conſuetudinam, quàm legibus approbatur, qui matrimonium accuſare poſſunt Gloſ. notabilis cap. paſtoralis de fide inſtrumentorum: cap. vt litigantes de offic. ordinarij in 6. Suarez in defenſione fidei lib.* 3. *cap.* 34. quemadmodùm etiam notum eſt, poſſe conſuetudinē ius Ciuitati tribuere literarias erigendi Academias, quę deindè introductę regulantur ad inſtàr aliarū quę à Principe fuere conceſſę, vt poſt *Iacobum de Arena* voluerunt *Bart. in proœm. digeſtorum* §. *hæc autem tria, n.* 2. vbi *Bal. poſt Cinum, & Reyner. de Forlivio, Petro de Ancherano in clem. dudum*

nu.

nu.9.de ſepulturis,vbi Ioan.de Vanquel. concluſ.3.Iacobus Philippus Portius conſ. 87. num.9. & Matthias Stefani de iuriſdictione lib.2.par.1. cap.1.membro 2. num.66.& lib.3.par.2. cap.2.num.27. Et quamuis nonnulli ſuſtineant, conſuetudinem legitimè pręſcriptam ſufficere ad tribuendam facultatem legendi tantùm in aliqua Ciuitate, non autèm actum Magiſterij exercendi ex *Bal.in d. §.hæc autèm tria,* vbi eum ſequitur *Cagnolus num.*243.contrarium tamèn noſtro in Regno ſeruatur, vt exemplum habemus in Ciuitate Salerni, quę ex antiquiſſima, & immemorabili conſuetudine publico medicinę ſtudio gaudet, omneſque ad illius artis doctoratum promouet,vt *Camillus Borrellus de præſtantia Regis Catholici cap.34.n.6.& 9.* tantaque denique eſt vis conſuetudinis, vt poſſit ex ea Iudici Eccleſiaſtico poteſtas acquiri cenſuras ferendi, ex *Mendo: de iure academico, lib.1.qu.4.n.*255. Hac ergò conſuetudine Pręfectus noſtrę Academię Neapolitanę ſempèr iuriſdictionē habuit in ſtudioſos quoſ-

cunque, ſiuè ij laici fuerint, ſiuè clerici, vt id iure factum, inferius videbimus.

Academia literaria an dicenda ſit Vniuerſitas Eccleſiaſtica, an autèm ſecularis.

His ſic ſuppoſitis, vt videamus modò, qualis ſit Rectoris Academię iuriſdictio, examinanda eſt quęſtio illa, à qua eius iuriſdictio dependet, ſcilicèt, an Academię literarum, ſeù ſtudia generalia, ſint Vniuerſitates Eccleſiaſticę, an autèm ſeculares; nàm duplex eſt ſupèr hac quęſtione ſentētia; prima eſt, *Saliceti in auth. habita nu. 39. C. ne filius pro Patre, Bellameræ in cap. ex literis n. 5. de conſtitutionibus, Monetæ de conſeruatorib. Iud. cap. 6. nu. 5. Balboæ in alleg. pro Vniuerſitate Salmanticēſi & aliorum*, Vniuerſitates nēpe ſtudiorum eſſe Eccleſiaſticas, ac proindè ſtudioſorum Iudices etiàm eſſe Eccleſiaſticos, ijſque ducuntur rationibus, quià in ſtudijs nūquàm deſunt clerici; & quāuis ij ſint numero minores laicis, dignitas tamèn maior facit, vt omnes ſcholaſtici appellētur clerici, nèc Eccleſiaſtica gaudeant immunitate, *ex traditis à Panormitano in c. inter n. 13. de immunitate eccleſiaſtica, et Nauarro in*

ma-

manuali cap. 25. *à num.* 21. Prętereà, cùm Academia comprobata ſit à Summis Pontificibus, eorumque fulcita authoritate, eccleſiaſtica dici debet, dum ſola Pontificis authoritas facit locum eccleſiaſticum, & de Eccleſię foro, ex *Guttierez lib.* 1. *quæſtionum canonicarum cap.* 36. *Azeuedo l.* 10. *à num.* 25. *tit.* 1. *lib.* 4. *recopilationum. Garzia de beneficijs* 5. *parte cap.* 1. *à num.* 604. *Barboſa de poteſtate Epiſcopi alleg.* 75. *num.* 21. *&* *de iure eccleſiaſtico lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 78. *& de Ponte conſ.* 18. *lib.* 1. potiſſimùm, cum huiuſmodi Academiarum erectio pia ſit, vt colligere fas erit *ex Bart. in l.* 1. *ad finem ff. ſolut. matrim. Antonio de Lara in repetitione l. ſi quis à liberis* §. *ſi mater. num.* 25. *ff. de liberis agnoſcendis. Paulo de Caſtro conſ.* 23. *col. penul. Rebuffo de priuil. ſcholaſticorũ priuil.* 174. *Horatio Lucio in tractatu de priuil. ſtudioſorũ priuil.* 1. *Riminaldo Iuniore conſ.* 117. *n.* 15. *Honded. conſ.* 57. *n.* 9. *lib.* 2. *Tiraqu. de priuilegijs piæ cauſæ in præfatione col.* 9. *verſ. itèm relictum cauſa ſtudij. Surdo de alimentis tit.* 6. *quæſt.* 20. *num.* 9. *Gra-*

tiano tom.1 cap.62.num.3.& tom.3.cap. 436.num.15. non ſolùm ratione ſcientiarum, quę in iјs ediſcuntur, prout sũt Sacra Theologia, & Ius canonicum, ex *Bal. in l.1.col.12.ff.de legatis 2. Raphaele Cumano conſ.28.col.2. verſ.nec hæc dicitur. Madalena de num. teſtiũ in teſtamentis par. 2. num. 72. Benedicto Aegidio in l.1.C.de ſacroſanctis Ecclesijs par.3.§.6. nu. 3. Gratiano diſceptationum forenſium cap.62. num.4.& cap.436. nu.16. & Barboſa de vniuer.iur.eccl.lib.3.c.27. n.19:* ſed ratione publicę vtilitatis, quę pia dicitur, prout *Horatius Lutius de priuilegijs ſtudioſorum priuil. 2.* Vndè, quãuìs etiàm ad Principem ſecularem ſpectet Academiarum erectio, cum promiſcuus, & communis ſit finis; pręualet tamèn eccleſiaſtica authoritas, tãquã dignior, adeòq; Eccleſiaſtica erit etiàm dicenda Vniuerſitas literaria. Et tandèm, quia in nonnullis Academijs ſcholarum magiſter eccleſiaſticus in omnibus cauſis etiàm laici ſtudioſi cenſuras profert, quod certè agere nequiret, ſi in omnibus Eccleſiaſticus non eſſet,

nèc

nèc ſecularis Princeps id permitteret: quarè huiuſmodi permiſſio operatur, vt iuriſdictio Eccleſiaſtica ſit, vt ex *cap. ſi duobus* 7.§. *denique, de appell. Narbon. in l.20.tit.1.lib.4.recopil.Gloſ.42.n.30.*

Secunda ſententia vult, vt, ſi Vniuerſitas ex fundatione, vel natura ſecundùm maiorem partem, vel æqualitèr conſtet ex clericis, eccleſiaſtica ſit, vt per *Abb. in cap. ſi diligenti num.27. de foro competenti*, quod nullam difficultatem pati videtur, cum denominatio ſumatur ex maiori parte, vel etiàm ex digniori, ſi partes æquales ſint, *cap. quod in dubijs: de cõſecratione Eccleſiæ, vel altaris: l. quod maior ff. ad municipalem*, ſin autèm ſecũdùm maiorem partem cõſtet ex laicis, laica ſit, vt *Bart. in auth. habita C. ne filius pro patre nu.41. vbi Bal. idem Bart. in l. fin. num.14. C. de collegijs illicitis, & l. cum Senatus num.4. de rebus dubijs. Iaſon in l. imperium de iuriſdict. Fel. cap.1. de præſcriptionibus. Gloſ. in cap.1. verſ. ſub excommunicatione de locato. Abbas in cap. cum ab Eccleſiarum num.6. de officio ordinarij, & in cap. ex literis de conſti-*

tutio-

tutionibus, vbi Innocentius. Idem Abb. quæſt.6. Silueſter in ſumma ver. collegiũ in principio. Maranta in praxi 4. part. diſt.11.nu.23. Horat. Lucius priuil.66. limit.1. Scaccia de appellationibus quæſt. 8.num.124. Tiberio Deciano tom. 1. criminalium lib.4. cap.9. num. 41. Riccius in praxi variarum reſolutionũ reſol.317. nu.3. Farin. in praxi 1. tom. tit. de inquiſitione quæſt.8. num.4. Couarruuias cap. 34. practicarum num.1. Zeuaglios de las Fuerças 2. par. quæſt. 157. Azeuedo l. 10.tit.1. lib.4. num.25. Bouadilla lib.2. cap.18.num.181. & 214. Armendar. ad leges Nauarr. tit. de confratrijs num.9. lib.3. Quam poſtremam partem probãt huius ſententię ſectatores pluribus, primò ſcilicet, quià ad dignoſcendam rei naturam, & ſubſtantiam maior pars inſpicienda eſt ipſius rei, cuius naturam minor induit, etiam ſi dignior ſit, *l. cum aurum 19. alias, l. ſequẽti §. perueniamus, de auro, & argento legato, l. quæritur, de ſtatu hominum: cap. ex literis, & cap. cum ſecundùm, de iure Patronatus. Abbas qu. 6.num.8. & in cap. nullus, de foro competen-*

tenti nu. 11. *Donellus, & Oſſualdus lib. 4. com. cap. 37. lit. A.* dum, quando conſideratur aliquod vt vniuerſum, attenditur, quod potentiùs eſt, non quod dignius, *cap. ex literis, & cap. cum ſecundũ, de iure patronatus. Soccinus in cap. 1. nu. 17. de foro competenti,* ſecundò paritate rei litigioſę adducta *ab Vlpiano in l. hãc legem 22. & in l. in modicis 24. de cõtrahenda emptione,* vbi res ſacra, & religioſa cedit maiori parti fundi profani, *conſonat l. ſi mercedem 55. §. ſi eum fundum, de actionibus empti,* & ſcripſit etiàm *Cornelius Tacitus lib. 1. annaliũ* his verbis, *Falerio obijciebat Accuſator, quod venditis hortis ſtatuas Auguſti ſimul mancipaſſet, quod vbi Tiberio innotuit, ſcripſit Conſulibus contra religionem nõ fieri, quod eius effigies, vt & alia numinum ſimulacra vẽditionibus domuum, & hortorum accederent.* His ſic breuitèr ſuppoſitis vt ad rem noſtram accedamus, cùm diſtinctione procedendum.

Si ergò Academię Rector laicus eſt, ſiuè Academia ſecularis ſit, ſiuè Eccleſiaſtica, nullam habebit iuriſdictionem in cleri-

cos

cos ſtudioſos, qui ad inſtar aliorũ, exépti erunt à Iudice ſeculari, quamuis ſequuta ſit Pontificis approbatio, quià laicus incapax eſt talis iuriſdictionis, *cap. cum nõ ab homine, de iudicijs. Pater Azor: tit. 2. lib. 5. cap. 12. quæſt. 1.* nec Imperator, qui nullam in eos habet iuriſdictionem, poteſt eam cęteris Iudicibus tribuere, vt *Loffredus in ſum: de foro compet. Hoſtienſis, & Io: Andreas in cap. ſi diligenti, de foro compet. & Archidiaconus in can. inolita* 11. *qu.* 1. Vndè erunt illi Epiſcopi, ſuiſque ordinarijs ſubiecti, *can. tota cauſa* 11. *qu.* 1. *cap. & ſi clerici cap. qualiter, de Iudicijs, cap. ſi diligenti, cap. ſignificaſti, de foro compet. in codice Theodoſiano l. 7. de Epiſcopis, & Clericis & l. 45. cũ m ſeqq.*

Sin autèm Academię Rector Clericus ſit, & tunc, vel loquimur de Vniuerſitate, quę ſecundùm ſuperiùs expoſita habeatur vt Eccleſiaſtica, & iàm Rector ſtudioſorum clericorum erit eorum Iudex competens, ex diſpoſitione legali, & approbatione canonica *ex Abb. qu. 6. n. 8. et Soccino in cap. 1. num. 17. de foro compe-*

tenti

tenti, cum non habeat obſtaculum prohibitiuum, quod habet Iudex laicus, vt ſuprà diximus. Vndè, licèt ij reſpectu aliarum rerum, quæ negotium vniuerſitatis non tangunt, conueniendi ſint coràm Epiſcopis, eorumque ordinarijs, certum eſt, reſpectu earum, quæ eam tágunt, iura velle, vt, dum eam permittunt, permittant quoque, vt valeat habere Rectorem, vt colligitur *ex cap. quià in cauſis 7. de procuratoribus, & proœmio Clementinarum & ſexti*, cum aliàs tanquàm clericus incompetens nõ ſit, dum, volendo Academiam tanquàm principalem, velint neceſſe eſt eius Rectorem tanquàm acceſſorium, *cap. cum M. de conſtitutionibus, cap. ex literis eod. tit.*

Vel loquimur de Vniuerſitate, quæ vt laicalis habetur, & iàm, licèt *Abb. in cap. ſi diligenti, de foro compet. & Innocentius in d. cap. cum ab Eccleſiarum*, voluerint, vt Rector Clericus nullam poſſit habere iuriſdictionem in clericos, ea potiſſimũ ratione, ſcilicèt, quià, cum Princeps ſecularis det huiuſmodi Rectori iuriſdictionem: *Gloſ. in l. & quià ff. de iuriſ-*

 dict.

dict. omnium Iudicum. Ioan. Andreas in cap. quoniam. Abbas de officio delegati, nequit intelligi, vt iuriſdictionem ſpiritualem, quã non habet, clericis præſtet *Abb. in d. cap. ſi diligenti n. 26. de foro cõpetenti, & in qu. 6. num. 7. in fin.* contrarium tamèn cõmunitèr de æquitate tenuit idem *Abb. in qu. 6. num. 9.* eo quòd iura canonica, & ciuilia velint, ſcolariũ vniuerſitatem comprobando, quamuìs diſparis ſtatus hominibus miſtam, vt Rector clericus tanquàm talis iuriſdictionis capax eam habeat, *ex Bal. in cap. 1. quis dicatur dux, col. 10.*

Hinc conſuetudine quoq; per omnia Italię ſtudia receptum inſpicimus, Rectores clericos in ſtudioſos etiàm eccleſiaſticos ſuam exercere iuriſdictionem apùd *Soccinum in c. 1. n. 17. de foro competenti.* Vndè, & ſi videatur *Innocentius in cap. quanto, de officio ordinarij* contrarium ſuſtinuiſſe, aduertendum eſt, eum loquutum de iuriſdictione ſpirituali, ſcilicèt de excommunicationibus, cæteriſq; cenſuris, quas certum eſſe poteſt, non poſſe Rectores ſtudioſorum Eccleſia-

ſticos

ſticos exercere ; non autèm de iuriſdictione temporali , qua poterit eos plectere , cum idem Autor id velit , fatendo ; Rectores electos ab Vniuerſitate,vel Principe,ſi Clerici ſint, non conſequi excommunicandi poteſtatem,ſed tantùmmodo iuriſdictionem, quod idē eſt,ac ſi diceret,poſſe Rectores hos temporalem in Clericos exercere iuriſdictionem,ſecùs ſpiritualem,quam etiàm nonnulli concedunt , ſi confirmati ſint ab Epiſcopo:*can. viſis 16. qu. 2. Abb. in cap. ſi quis Clericum,de foro competenti*.
Quę omnia quiſque militare viderit, tàm, attenta conſtitutione Imperatoris Anaſtaſij,*l.fin. C. de iuriſdict.omn.Iud.* quæ iuriſdictionem tribuit Rectori cuiuſlibet Collegij ratione litium, quæ oriuntur dumtaxàt occaſione profeſſionis illius,ex *Gloſ.in d.l.fin.vbi Bart.& Bald. Innocent: in cap.cùm ab Eccleſiarum, de officio ordinarij* , quàm virtute conſtitutionis Imperatoris Federici, *in auth.habita C.ne filius pro patre* , iuriſdictionem indiſtinctè tribuentis iudicibus, adeò vt etiàm in criminibus queant illum habe-

Effectus Academiæ à Summis Pontificibus approbatæ.

re iudicem. *Gloſ. in d. auth. habita, & Speculator in tit. de reo, poſt principium.* Si autem huiuſmodi Academiæ à Summis Pontificibus cõprobatæ ſint, proùt de noſtra Academia inferiùs videbimus, plures oriuntur effectus tranſcripti *ab Eſcobar de Pontif. & Reg. iuriſdict. in ſtudijs cap. 21. §. 2. n. 105. cũ ſeqq. Mẽdo de iure academico, lib. 1. n. 240. & Pereira in academia literaria lib. 1. qu. 2. nu. 60. cum ſeqq.* nàm ſubſiſtet ſtudium generale erectum à Principe, non in ſuo tantùm Regno, ſed in vniuerſa Eccleſia, ex *Imola in clem. dudum de ſepult. num. 22. Petro Gregorio de Republica lib. 18. cap. 3. num. 8.* Clerici ſtudioſi ſcolarium magiſtro ſubijciuntur, & ab omni alio iudice cenſentur exempti, nèc vlla requiritur Prælati venia ad iuriſdictionis prorogationem. Clerici, quamuis beneficiati, religioſique, liberè queunt ad ſtudia migrare, nèc à Prælatis valent detineri, prout *Horatius Lucius ad finẽ tractatus de priuil. ſcolariũ n. 18. & priuil. 100. ampliat. 1. Barboſa de poteſtate Epiſcopi 3. par. alleg. 50. nu. 49. & allega-*

tione

tione 56. num. 26. Carolus de Graſſis de effectibus Clericatus effect. 29. à num. 1. Ijdem denique beneficij fructus in abſentia legali percipiunt, *cap. fin. ad fin. de magiſtris. Couarruuias lib. 3. variarũ, cap. 13. num. 5. Azor. inſtit. 2. tom. lib. 7. cap. 4. Garzia de beneficijs 3. parte cap. 2. nu. 54. Franciſcus de Leon in Theſauro eccleſiaſtico cap. 33. num. 22. relati ab Eſcobar de Pontificia, & Reg. iuriſdict. in ſtudijs cap. 6. num. 66.*

Sed quid dicendum de iuriſdictione in exemptos ſtudioſos, ſcilicet Cardinales, Epiſcopos, Duces, Marchiones, Equites militarium ordinum, cæteroſque id genus religioſos? Reſpondemus, Academiæ Rectorem eandem habere iuriſdictionem, ac proindè poſſe eorum cauſas ad Academiam ſpectantes cognoſcere, ſiuè ciuiles ſint, ſiuè criminales, *ex l. fin. verſ. quapropter, vbi Salicet. num. 3. C. de iuriſd. Barbat. in proœm. clementinarum n. 30. Marta de iuriſd. 4. par. caſu 39. n. 5. relati ab Eſcobar de Pontificia, & Reg. iuriſd. in ſtudijs c. 6. n 110. & c. 34. Mendo de iure academico lib. 1. qu. 21. n.*

Iuriſdictio Rectoris Academiæ in exemptos.

477.*& ſequẽti, Chokier. in tract. iuriſ. ordinariæ in exemptos par. 2. qu. 45. n. 66. & Bouadilla lib. 2. politicorum cap. 18. nu. 214.* Quod pluribus probatur, Primò ſcilicèt ex generali ſermone Conſtitutionis Imperatoris Federici *in dicta authentica, habita*, qua indiſtinctè in quécunque ſtudioſum iuriſdictio priuatiua conceditur Academicis iudicibus, hãcq; conſtitutionem ſeruandam, attento iure canonico, dubium non eſt, ob præſumptam, vel ſpecialem, vel generalem Pontificis approbationem, vt ex *Abb. qu. 6. adducto ab Eſcobar de Pontif. & Reg. iuriſdict. in ſtudijs cap. 6. num. 66.* Secundò ex *Vlp. reſponſo in l. eſt receptũ 14. de iuriſdict.* in quo habemus, omninò exemptos, quinimò Superiores, ſi ſe ſpontè alteri iuriſdictioni ſubijciant, ſub ditos remanere. Cõſonant quoq; *l. ille à quo 13. §. tempeſtiuum ad Trebell. l. 1. ff. de iudicijs l. fin: de rer. diuiſ.* vndè à pari ſtudioſi ſpontanea ſubmiſſione, & iuramento Academicis Iudicibus præſtito ſubditi erunt eorũ iuriſdictioni, vt colligitur *ex Eſcobar loo. cit. c. 7. n. 4. cũ ſeq.*

non

nó obſtante, quod ipſi nequeant renunciare exéptioni in ſtatus honoré cóceſſe, ex *c. ſignificaſti, cap. ſi diligenti, de foro compet. cap. cum tempore §. fin. de arbitr. Emanuel Rodriquez tomo 2. regularium quæſt. 63. art. 10. Barboſa de poteſt. Epiſcopi alleg. 74. & 123.* cum huiuſmodi renunciatio valida ſit, aſſiſtente Principe, vel Pontifice, vel lege; tunc enim, quamuis exemptus ſit ille, qui ſubmittitur, permiſſa eſt ſubmiſſio in Academię fauorem, *Mendo de iure academico, lib. 1. qu. 21. num.* 478. quod euidés eſt, & iure communi probatur ex receptiſſima ſententia, quæ vult, vt, licèt clerici nequeant iuriſdictioni ſui Epiſcopi renunciare, ſi tamèn ad ſtudium generale incedant, fiant iàm de illius Academiæ iudicis iuriſdictione. *Abb. qu. 6. Soccinus cap. 1. num. 17. de foro competenti, Bald. in auth. habita C. ne filius pro patre num. 34. vbi Salicetus num. 24. Felin. in cap. cum dilecta num. 18. de reſcript. vbi Abb. numer. 13. Emanuel Rodriquez tom. 3. regularium qu. 67. art. 6. Rebuffus priuil. 156.* Præterea probatur

pari-

paritate Legati, qui,licèt ſuo priuilegio renunciare nequeat;tamèn, ſi, Principe permittente, contrahat,videtur priuilegio validè renũciaſſe, & cõſequẽtèr etiã, durante legatione,conueniri poterit, *ex ſingulari doctrina Barboſ.in l.2. §.legatis,de iudicijs num.*51.123.*&* 125.Tertiò ex eo, quòd fauorabile videtur ipſis etiàm exemptis, vt iudicem habeant ſpecialem, qui iniurias ijs illatas vlciſcatur, aliaque vindicet, quæ eorum oſtendant decorem.

Nèc obſtat, ſi dicatur, Prælatos regulariũ tantùm,& non alios,poſſe corrigere fratres matriculatos in ſtudijs generalibus, ex Innocentij VIII. conceſſione *adducta ab Emanuele Rodriquez tom.2.regularium quæſt.2.art.9*. Etenìm reſpondetur,hanc Pontificis conceſſionem coarctandam tantùm ad fraternam correctionem reſpicientem exceſſus,cauſaſq; ad Religionem ſpectãtes,in quibusprocùl dubio eſt, regularium Prælatos eſſe priuatiuos Iudices,non autèm eas, quæ ad ſtudium pertinent, vt colligimus *ex eod. Emanuel. Rodriquez d.tõ.2.regularium*

rium quæſt.63.art.1.Barboſa de poteſtate Epiſcopi alleg.74.& 123.

Prætereà dubitari non poteſt, quìn Ordinarius iuxtà Sacros Canones, & præcipuè S. C. T. poſſit in quibuſdam caſibus quoſcunq; regulares coercere;cum ergò certum quoq;ſit,Rectorẽ eam omnem Iuriſdictionem Eccleſiaſticam habere in ſtudioſos,quam haberet Epiſcopus diœceſanus eorundem ſtudioſorũ, ſi ſtudioſi non eſſent, certum paritèr eſſe debet,Rectorem poſſe tales ſtudioſos regulares, & exemptos coercere, & plectere in omnibus cauſis, in quibus diœceſanus Epiſcopus cognoſcere poſſet,non obſtante eorum exemptione, iuxtà canonica decreta, & C. Tridentinum intèr quas eſt, de delictis commiſſis extrà clauſtra à Regularibus degentibus ſiue intrà, ſiue extrà clauſtra: quibus caſibus poſſe puniri à Rectore,ſi ſtudioſi ſint, ſicuti poſſent ab ordinario Eccleſiaſtico,dubium non eſt, *ex cap.3. ſeſſ.6.de refor. & c.14. ſeſſ.25. de regul.* vbi plura *Barboſa,& cæteri Additionatores*, quod idem dicendũ in Regularibus

militarium ordinum, latè *Eman. Rodrig. tom. 2. regul. quæſt. quæſt. 63. art. 11. & quæſt. 2. art. 3. & Nauarrus tom. 2. de regul.* et doctè ſudat *Eſcobar de Pontif. & Reg. iuriſ. in ſtud. cap. 34. n. 25. cũ ſeqq.*

Quarè ex his deducitur, Rectorem Clericũ plenam cauſæ cognitionem habere aduersùs quoſcunque clericos, & exemptos, adeòut poſſit etiàm eos in perſonis plectere reſpectu cauſarum ad profeſſionem ſpectantium, iuxtà vulgarem ſententiam, de qua *Abb. quæſt. 6. numer. 9.* ad differentiam Rectoris laici, qui, tanquàm non habens veram, & propriam iuriſdictionem ſupèr illis reſpectu perſonæ, poterit tantùm eos ab Vniuerſitate expellere, ſcholas interdicere, & Cathedris, cæteriſq; priuilegijs, & emolumentis, quę ab Vniuerſitate habebunt, eos priuare, ità in ſpecie *Bonadil. lib. 2. polit. cap. 18. num. 214.* cum hæc iuriſdictionis non ſint, ſed ęconomicæ dominationis, vt deſumitur ex *Bar. in l. ſodalis numer. 13. de colleg.* Quæ omnia, licèt locum ſibi vindicent quoque de iure com-

mu-

muni, nulla expreſſa Pontificis approbatione interueniente, à fortiori tamèn militabunt, ſi qua Pontificis approbatio adſit, vt concludit *Eſcobar d. cap.21. §. 3.num.141.*

Hinc fit, non poſſe huiuſmodi ſtudioſos, quamuìs volentes, huiuſmodi priuilegio renunciare, *ex cap. cum tempore* vbi *Abb.num.2.de arbitr. c.1. num.19.*de re *Iudic. Franc.cap.ſcienti nu.4. de reg.iur. in 6. Alciat. l. non plures in fin. C. de Sacro San.Eccl.Caſtr.cõſ.431.par.1. Alber l.nemo videtur fraudare ff. de regul. iur. & Caillus lib.1. obſeru. 40. per tot.* & maximè in præiudicium Rectoris *ex Matthia Stephani de iuriſdictione lib. 1.cap. 22. num. 36. & cap.25. num.52. Vulteio l. 1.C. de iuriſdict. nu. 128. & 168. Oſſualdo lib.17.com.cap.10.lit.N. & cap.20. lit.K. & Pereira in academia literaria lib.3.diſp.1.qu.7.num. 297. & 299.* quemadmodùm, nèc ipſum Rectorem poſſe renunciationi huic conſẽtire, non defuit, qui tentandum ſcripſerit, eo quòd iuriſdictio hęc priuatiuè eſt, *Barboſa l.1.art.4. à nu.48. alter Barboſa*

boſa de poteſt. Epiſc. alleg. 124. *num.* 7. *Pereira loc.cit.diſp.*4.*qu.*4.*num.* 416.

Reuerentia in Academiæ Rectoré qualis eſſe debeat.

Quarè obitèr, vt concludamus, aduertendū, tanto Rectori, vt Academiæ capiti, reuerentiam præſtandam, & obedientiam, quæ vtræque iuriſdictionem reſpiciunt, adeòut ipſemet Iudex competens ſit cauſæ inobedientiæ, vel reuerentiæ ſibi non præſtitæ *ex l.*2.*C.de officio diuerſorum Iudicū l.*3.*eod.tit.*ibi *ſi nō patuerit ingreſſus, aut reuerentia non fuerit in ſalutatione delata. Gloſ. in ſumma diſt.* 93. *Eſcobar de Pontificia, & Regia iuriſd.in ſtudijs cap.* 46. *Oſſualdo lib.*23. *cap.*10.*Rebuffo priu.*74.*&* 75.*& Pereira in academia literaria lib.*5.*qu.*4.*n.*708. Vndè in Academia Salmātina Cādidatus quidā, eo quòd Rectori Academię intranti ſolitam reuerentiam non exibuerit, hoc eſt ſalutationem, à recitando ceſſans, vſque dum Rector ſederet, nec impetraret veniam, aliaque peregerit conſueta, fuit Cathedra, quam poſſidebat, priuatus, quamuìs vel aperto, vel inclinato capite eum ſalutaſſet, vt iuri reuerentiali ſatisfaceret, quià con-

conſueta forma omnia non perfecerat, vt refert *Eſcobar loc.cit.* cum conſuetudo in actione; de qua loquimur, reſpectu Rectoris Academiæ obligationem inducat, vndè ſempèr ſolita forma adhibenda eſt, cum ea partem reuerentiæ ingrediatur. *Mendo, de iure academico lib.1.quæſt.42.num.65. Pereira in academia literaria lib.5. diſp.1. nu.712.in fin. Bouadilla lib.3.politicorum cap.1.à num.49.*

Quoniàm verò de eo dubitari poteſt, an ſtudioſorum nomine non tantùm ij veniant, quos vulgò ſtudẽtes appellamus, ſed etiàm eorum Præceptores, qui cũ ijs corpus Academiæ integrant, ac proindè poſſit Rector etiàm in lectores Clericos ſuam exercere iuriſdictionem; Idcircò, ne id in dubium reuocetur, ſupponendum eſt, poſſe Rectorem lectoribus quibuſcunque prohibere, ne extrà Academię locum eorum profeſſionem exerceant, cæteraque ijs interdicere, quę ſecundùm Academiæ inſtituta non eſſent, *ex Eſcobar. de Pontificia, & Regia iuriſdict. in ſtudijs cap.32. num.10.* Hæc

Rector Academiæ nõ modò in ſtudentes, ſed in lectores etiã poteſt iuriſdictionem exercere.

au-

autèm interdictio vtique fieri nequiret, ſi in eos plenam non haberet iuriſdictionem: & ratio à priori eſt, quià, cùm Rector ſit totius Academię, ridiculum certè eſſet, ſi in ſtudentes tantùm iuriſdictionem haberet, cùm aliàs Academia, non ſolùm lectoribus, & ſtudentibus integretur, vt colligitur *ex cap. quià in cauſis: de proc. Abb. in cap. ex literis nu. 1. de conſtit. Innoc. in cap. cum ab Eccleſiarum de off. Ordin. Cuiacio 7. obſeru. cap. 25. & Cicerone de optimo genere orat.* ſed à lectoribus tantùm denominationem, tanquàm à nobiliori parte, deſumat, vt placuit *Accurſio in l. fin. C. de iuriſdict. omnium Iudicum, in verbo, pertinet*. Ob quod videmus, Iuriſconſultos, & Imperatores ſub nomine ſtudioſorum intellexiſſe ſcientiarum, tàm diſcipulos, quàm Profeſſores, *vt in l. 2. §. poſt hunc 47. de origine iuris, in proœmio digeſtorum, §. ſed quià 5. in l. diuus 4. de varijs, & extraordinarijs cognitionibus, vbi Gloſ. in verbo ſtudioſos, in l. librorum 50. §. quod autèm, de legatis 3. in l. 1. ff. de officio aſſeſſorum, & in l. ſi duas 6. §. &*

vti-

vtique, ff. de excuſationibus tutorum; ſat enim eſt, ſi in Vniuerſitate aliqua, vel Academia, adſint ij, qui profeſſionem ad eam ſpectantem exerceant, ad hoc, vt vera Academia dicatur, quicquid ſit, ſi per accidens, vel multi, vel pauciores, vel fortè nullus ſit, qui ad eam, vt profeſſionem illam edoceat, incedat. Quarè, cum quæritur, an Rector Academiæ iuriſdictionem habeat ſupèr ſtudioſis, ſuiſque ſubditis, dubitandum non eſt, quin omnes ij veniant, qui Academiam integrant, vt colligitur *ex Saliceto in auth. habita, n. 30. iuncta additione, ibidem C. ne filius pro patre; vbi Rebuff. ver. profeſſorib. & Pac. cap. 4. nu. 2. Matthias Stephani de iuriſdict. lib. 3. par. 2. cap. 5. num. 43. Horatio Lucio priuil. 73. & in fin. tractat. de priuil. ſcholarium; Petro Gregorio de Republica lib. 18. cap. 7. num. 16. Rebuffo priuil. 14. 142. & 165. Palac. Rubeo in rub. 9. 38. num. 3. Didaco Perez l. 8. tit. 2. lib. 1. ordin. verſ. aduerte tamen, Pax in praxi 1. par. 2. tõ. c. 6. n. 30. Eſcobar de Pontif. & Reg. iuriſ. in ſtudijs, cap. 32. & Mendo de iure academico lib.*

3. qu.

3. *qu.* 8. *nu.* 58. *cum ſeqq.* adeòque, ſi illius integratio à pręceptoribus dependet, vt diximus, ij vtique erunt veri Rectoris ſubditi, ſupèr ijſque Rector veram, & plenam exercebit iuriſdictionē, quamuis clerici ſint, dummodò Rector, vt ſuperiùs ſcripſimus, clericus ſit, & conſequentèr poterit eos in perſonis plectere, non refragante ſtatu clericali, cum tanquàm de Academię corpore, poteſtas, quam Ordinarius Diœceſanus ſupèr illis habebat, cenſeatur, quoad res ad Academiam ſpectantes, translata in Rectorem, ad inſtàr quorumcunque aliorum, qui quodcunque Academiæ corpus integrant.

Præfectus Academiæ Neapolitanæ plenam habet iuriſdictionem, non modò in laicos, ſed etiàm in clericos & Rege, Pontifice, à antiqua conſuetudine.

Hæc, quę hucuſque diximus, omnia conueniunt Pręfecto Academię Neapolitanę, qui eſt Capellanus Maior; habet enim duplicem iuriſdictionem in laicos ſcilicèt, & in clericos; in laicos, inquàm, à Rege, in quos vicem Regis repræſentat, quoad regimen politicum directum ad reformationem, conſeruationem, gubernationem, & reliquas totius corporis cauſas, etiàm reſpicientes laicos, vt

ſin-

ſingulos; necnon ad formam prȩſcribendam in Cathedris prouidendis, eamque pro varietate temporum mutandã, conſulendo nimirum maiori vtilitati Academiȩ, vt doctiſſimè, & eruditè ſcripſit *Regius Conſil. Dom. D. Carolus Petra ad præſens Capellani Maioris digniſſimus Ordinarius Conſultor, in com. ſuper. Rit. M.C.V. 265. num. 80. tom. 3.*

In Clericos à lege, Pontifice, & antiqua conſuetudine: à lege, ex ijs, quæ ſuprà diximus; etenim, cum is ſit clericus, iuriſdictionem habet in clericos ſtudioſos, quod ſatis ſupèrque probauimus; prȩtèrquàmquod, cum annexam habeat dignitatem Capellani Maioris habet à Pontifice iuriſdictionem ordinariam. A' Pontifice; nàm noſtra Academia non ſemèl fuit comprobata, & confirmata Summorum Pontificum bullis, & priuilegijs, quȩ memorantur in priuilegijs, & gratijs conceſſis huic fideliſſimȩ Ciuitati, vt legimus *in illarũ volumine inter capitula Ferdinandi II. pag. 24. c. 22. & Magni Capitanei, pag. 36. à ter. cap. 44. & Catholicæ Maieſtatis pag. 45. à t.*

*cap.*52.quibus omnis debetur fides, vti antiquis, ac Regalibus monumentis, vt deducimus *ex Rota Romana in nouiſſimis, deciſ.*360.*num.*2.*&* 4.*&* *dec.* 724. *nu.*3.*par.*2. *clem.* 1. *de probat. Alexander conſ.*6.*num.*6.*vol.* 1. *Iaſon in l.ex his verbis, num.*2.*verſ.*4.*limita C.de teſtamento militis, & alij relati à Genua de enunciatiuis verbis lib.*1.*quæſt.*4. *num.*44. *& lib.*2. *quæſt.* 1. *num.* 56. *& qu.*47. *& de ſcriptura priuata lib.* 3. *quæſt.* 3. *num.* 2. *Hettor. fel. allegat. ſua iur.* 161. *num.*8. *par.*2. *Decianus conſ.*21.*num.*29.*vol.*3.

Antiqua conſuetudine; nàm ex tempore, cuius initij memoria hominum non extat, Capellanus Maior noſtrę Academię Prefectus iuriſdictionẽ exercuit in lectores omnes, & ſcholares quarũuis ſcientiarum, tàm laicos, quàm clericos, religioſos, & exemptos, etiàm in eorum perſonas, vt apparet *ex actis exiſtentibus in archiuio Tribunalis Capellani Maioris*, ac etiàm in Bidellos, Prefectum ceremoniarum, Apparitorem, omneſque alios in dicta Vniuerſitate inſeruientes, pro quibuſcunque crimi-

nibus

ſibus patratis in ſupradictorum ſtudiorũ ædibus, & ſcholis, ex dictis per *Reg. de Ponte dec. Collateralis Conſilij* 36. *n.* 2. *Taſſonum de anteſato verſ.* 3. *obſeru.* 3. *num.* 271. *& Regentem de Marinis ad Reuerterium deciſ.* 495. *num.* 2.

Et ſcitum eſt, conſuetudine acquiri iuriſdictionem, vt diximus, & quidèm priuatiuè; nàm iuriſdictio per pręſcriptionem acquiſita, non cumulatiuè, ſed priuatiuè cenſetur adempta, perindè ac ſi contractu eſſet acquiſita, cum pręſcriptio ęquiparetur pacto, ſiuè contractui, ex *Chokier in Vindicijs libertatis eccleſiaſticæ par.* 1. *cap.* 30. *nu.* 7. *& cap.* 26. *num.* 1. *&* 2. *& Fermoſin. in cap. licet ex ſuſcepto* 10. *quæſt.* 20. *num.* 2. *de for. comp.*

Iuriſdictio Rectoris eſt priuatiuè ad alios Iudices;

Hancq; potiſſimùm, tanquàm comprobatam à S.S. P.P. nàm, cum ipſi tàm huic Regno proximi ſciuerint hanc Academiam fundatam, illiuſque Pręfectum Eccleſiaſticam exercere iuriſdictionem, illorũ conniuentia ſat eſt ad conſuetudinem iſtam cõprobandam, & ſtabiliendam, *cap. vlt. de conſuetudine. l. de quibus ff. de legibus, Diuus Thomas ſecunda ſecũ-*

dæ qu.27. art.2.ad 3.Suarez lib.7. de legibus quæſt. 8.*num.*15.*Enricus Vuagnarech.cap. vltimo, de conſuetud. notabili*.5. & hæc ſcientia etiàm præſumitur, ne dū ob longitudinem tēporis, *ex Saliceto in l.authoritatem verſ. quæro de qu. facti C. vnde vi, Decio conſ.*185. *col.*6. *Calderino conſ.*15 .*col.*1. *verſ.ex quo ſequitur in tit.de præbendis.* Sed etiàm propter cauſas iuriſdictionis, in ordinariū habitas, vt prædiximus, cuius ſcientiā, vti miniſtri Pontificis eſſe ſufficientē ſuſtinere poſſumus *cum Bart.in l. ſi Publicanus* §. *fin.n.*2.*ff.de publicanis*, *Bal.in conſ.*145. *ante finem verſ.& præſertim, quia ipſe fiſcus lib.*2.*& in cōſ.*340.*col.*2.*lib.*5. *Paulo de Caſtro conſ.*203. *verſ.ad ſecūdum reſpondetur lib.*1. quamuìs, iſtā ſcientiā in conſuetudine immemorabili neceſſariā non eſſe, ſuſtinuerint *Alex. conſ.* 6. *n.* 4. *lib.*1.*in conſ.*24.*col.*5.*lib.*5.*Felinus in c. de quarta nu.*41.*verſ.fallit in præſcr.& in cap.cum nobis n.* 2. *de præſcriptionibus*, *Decius conſ.*85. *col.*2.*in conſ.*271. *col.*1. *& in conſ.* 241. *col. penul. poſt medium Iaſon.in l.Imperium col.*1. *ff.de iuriſdict.*

om-

omnium iudicum, Curtius Iunior conſ. 61.col.2. Alexandrinus in conſ.21.col.3. & Regens de Marin.ad Reuert. in obſer. ad deciſ.316.num.1.

Et quidèm ea potiſſimùm ratione, quià Prꝑfectus noſtrę Academię iuriſdictionem habet Epiſcopalem, vt obſeruarunt *Minadous in conſ. 26. num.1. Regens Conſtantius ſuper tribus libris codicis in l. vnica C. de palatijs & domibus dominicis, num.23. lib.11. de Curte in diuerſor.iuris feudalis lib.2. cap. 2. n.178. Regens Reuerterius apùd de Marin. dec. 495. Nouarius de electione, & variatione fori, ſect.4. quæſt.58. num.15. & Vincentius Turturetus de cappellis, & Cappellanis regijs cap.4. num.44.* & eſt Iudex Ordinarius ex dignitate, quam habet Capellani Maioris, vt aduertit *Vinc. Turtur. in d.c.4.n.41. in fin. & 42.* cuius iuriſdictio in Regno antiquiſſima eſt, dùm omnes Reges ſempèr Capellanum Maiorem habebant, qui caput cęterorum Regiorum Capellanorum erat. Hinc tempore Regum Francię appellabantur Protocapellani, Ma-

Iuriſdictio Præfecti annexã habet dignitatem, & iuriſdictionem Cappellani Maioris, cuius dignitas, & auctoritas maxima.

 gi-

giſtri Regię Capellę, & Magiſter ſecretę Capellę, vt ſcripſit *Vincentius Turturetus loco citato cap. 3. num. 5.* Poſtmodùm verò temporibus Regum Aragonenſium appellari cęperunt Capellani Maiores, vt legimus *in 2. tom. ſcripturarum Reg. iuriſdict. in tit. de Reg. Capellano Maiori*; verùm, quicquid ſit de huiuſmodi nominibus, eandem, quam hodiè retinent, ab initio iuriſdictionem habuerunt, quinimmò ijdem Reges Aragonenſes, eorúque ſucceſſores, vt prętatorũ Capellanorum iuriſdictionem defenderent, Epiſcopis ſcribebant, ne ſe immiſcerent in cauſis ciuilibus, & criminalibus Regiorum Capellanorum, vtpotè quę ad Maiorem Capellanum ſpectarēt; quarè ab anno 1546. inſpicimus, remiſſas huiuſmodi cauſas ab Archiepiſcopali Curia huius Ciuitatis ad eundem Capellanũ Maiorem, vt *in d. tom. 2. loc. cit.* Nèc mirum; nàm, quanta ſit eius dignitas, ex eo patet, quià prętèr iuriſdictionem, quam in clericos Capellę regalis habebat, Cancellarię etiàm præteritis temporibus intererat,

&

& vnà cum Iudicibus ad negotiorum expeditionem incumbebat, apud *Freccia de ſubfeudis tit. de officio Magni Cancellarij num.* 28. Quæ omnia ex ſingulari eius iuriſdictione proueniunt: de qua iuriſdictione meminit Rota Romana quammaximè laudans Tribunalis Capellani Maioris decretum in materia cuiuſdam cauſę Ius Patronatus tangentis *in vna Theatina Abbatiæ* 28. *Aprilis* 1603. *coràm Cardinali Millino*, *quæ eſt deciſ.* 7. *poſt tractatum iuris Patronatus Iulij Viuiani.* Vt autèm nonnulla, arrepta occaſione, de eius iuriſdictione dicamus, ea ſuprema eſt, quia Eccleſiaſticam comprehendit, & ſecularem: eccleſiaſticam quidèm, cum Iudex ſit ordinarius omnium Capellanorum Regię Capellę, vt habetur, *ex cap. cum capella, de priuil. & cautum reperitur in Concilio Tridentino ſeſſ.* 24. *cap.* 11 *de reformatione Rot. Rom. in nouiſſimis deciſ.* 744. *par.* 1. *Riccius in praxi variarum reſolutionum, cap.* 41. *& in praxi cappellanorum Regiorum, reſol.* 496. *num.* 1. *&* 498. *par.* 4. *Reg. Conſtantius in d. l. vnica*

num.

num. 21. *Paulus Fuſch. in tractatu de viſitatione lib.*2.*cap.*11.nèc non Caſtrorum, militum cohortium, Regiorum Triremium, & Nauium; omneſque inſupèr dirimit controuerſias intèr clericos, etiàm conuentos iure congrui, vt obſeruauit *Præſ. de Franchis in deciſ.* 285. *num.* 2. dummodò extrà Curiam Romanam ſint: quod intelligendum, tàm de cauſis ciuilibus, quàm criminalibus, & miſtis, cum ij à quorumcunque ordinariorum iuriſdictione exempti ſint. Habet paritèr iuriſdictionem in Regio Arſenali, alijſque locis huius Ciuitatis. Nèc ſilentio prętermittenda, vt à temporali Eccleſiaſtica ad ſpiritualem gradum faciamus; ea, quam habet cum Proregibus, eorum familijs, omnibuſque Regni militibus, etiam Pręſidij Etrurię, nedùm in totius Regni Caſtris.

Et tandèm facultatem habet omnes viſitãdi Eccleſias, quarum collationes ad Regem ſpectant, vt declarauit S. C. T. *in c.*8.*ſeſſ.*22.*de reformatione*: ità *Paulus Fuſcus in tractatu de viſitatione lib.* 2.

cap.

*cap.*11.*num.*1. Iudex etiam eſt appellationis cauſarum Curię Prioris Sancti Nicolai Barenſis, eiuſque Theſaurarij, propriaſque ipſius paritèr Prioris, & Theſaurarij perſonas recognoſcit, tanquàm ipſi ſubditas, vt apparet *ex actis exiſtentibus in archiuio Tribunalis Capellani Maioris ab anno* 1540.*& Regia Litera Federici in anno* 1499.quam paritèr iuriſdictionem exercet eadem forma in Archipresbiterum Altamuræ, vigore priuilegij fundationis Imperatoris *Federici* 2. *in anno* 1232. *confirmati ab Innocentio III.in anno* 1.*ſui Pontificatus*, & tandèm,vt multa alia deſeramus, iuriſdictionem exercet, cùm agitur de materia Capitulorum Regni, quæ vim concernunt, præſertìm intèr Eccleſiaſticos, cùm Prorex cum voto Collateralis Conſilij huiuſmodi cauſas eidem ſolet committere, etiam ex conuentione habita tempore gubernij D. Petri de Toleto Proregis, vt ſcriptum reliquit *Taſſonus de anteſato verſ.*3. *obſeru.* 3.*num.*284.

Secularem etiàm habet in laicos, ſcilicet in cantores omnes, & muſicos Regiæ

Capellæ, quorum queſtiones quoque dirimit, etiàm profanas ciuiles, criminales, & miſtas, *ex Caſtillo deciſ. 140. tom. 2. Riccio in praxi eccleſiaſtica, in praxi Capellanorum Regiorum reſol. 499. Carauita in ritu M. C. V. 46. num. 17. Nouario de elect. fori quæſt. 57. ſect. 4.*

Que tàm ſuprema iuriſdictio fundata inſpicitur in antiquiſſima conſuetudine, & preſcriptione, que quamlibet memoriam hominis excedit, *ex dictis per Soccinum in cap. cum contingat nu. 7. 21. 23. & ſequenti, de foro competenti, per capitulum, cum Eccleſia Sutrina, extra de cauſa poſſeſſionis, & proprietatis, Ferrarium in practica in forma libelli actionis confeſſoriæ, Gloſ. 7. numer. 14. Hieronymum de Monte in tractatu de fin. Regund. cap. 78. numer. 1. Modeſtinum Piſtorium conſ. 40. num. 37. Menochium de arbitrarijs lib. 2. caſu 260. num. 2. & & conſ. 402. num. 41. & de retinenda poſſeſſione, remedio 3. num. 586. & Bocerium de iuriſdict. cap. 8.* & in priuilegijs Summorum Pontificum proprio motu confirmatis, & augmentatiuè conceſſis à Leone X. in anno 1519 *ad tex. in*

l. qui

l. qui familia, ff. de regulis iur. quorum priuilegiorum immemor non fuit *Barboſa in collect. ad cap. cum capellam, de priuilegijs* relatus à *Reg. de Marinis in obſeruat. ad Reuerterium deciſ.* 495.

Hęc õnia, quę huculq; dicta ſunt, licèt clara, debent nihilominus clariora reddi cõtrariarũ obiectionũ ſolutione, quę tales ſũt.

Dubitandum non eſt; quin ab initio clericus quoad perſonam ſubditus ſit priuatiuè ad alios ſuo ordinario naturalitèr 11. *quæſt.* 1. *de perſona Can. in apibus* 7. *quæſt.* 1. *cap. cum Epiſcopi de officio ordinarij, Concilium Tridentinum ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 20. *auth. de eccleſ. tit.* §. 1. quarę, ſi per accidens ratione officij fiat alteri ſubditus, non poterit hoc vinculum ſuperueniens ordinarium ſua iuriſdictione ſpoliare; ſicque, quemadmodum antè nouum ſuſceptum munus à ſuo ordinario, tanquàm clericus, priuatiuè quoad alios recognoſcebatur, ità poſtmodum etiàm tanquàm clericus ab eodem recognoſcendus erit, cum nouum munus ſuperueniens non reddat illum clericatu ſpoliatum, nec per conſequens eum eximat à ſuo ordinario,

Argumentum cõtrà iuriſdictionẽ Rectoris priuatiuè.

G 2 rio,

rio: vndè Iudex muneris ſuperuenientis non potens illum punire in perſona, quę tanquàm clericali dignitate inſignita ſubdita eſt ſuo ordinario, plectet illũ quoad cætera, quæ perſonam non reſpiciunt, puta illum priuando tali munere, cæteriſque modis puniendo, quæ perſonam immediatè ordinario reſeruatam non tangant.

Hinc, cùm voluere Pontifices aliquem ab ordinarij iuriſdictione eximere ratione alicuius officij, ſempèr clauſulam illam appoſuere, non obſtante ordinarij iuriſdictione, à qua etiam, quoad perſonam eximimus, *cap. 1. de conſt. in 6.* cum alias non potuiſſet in ordinarij præiudicium Clericus, cui ſubditus eſt, ſe ab eius iuriſdictione eximere, non abdicato clericatu, qui fundamentum eſt iuriſdictionis ordinarij, quæ omnia applicari non immeritò poſſunt noſtro caſui, in quo concludendum videtur, non poſſe ſtudioſum clericum ratione ſtudij ab ordinarij iuriſdictione ſe quoad perſonã eximere, quoad quam recognoſci non debet à ſtudij Rectore, niſi quoad ea, quæ perſonam immediatè non tangunt.

Vt

Vt igitur adęquatè reſpondeamus, ſupponendum eſt, tunc Iudicem aliquem poſſe ſuũ ſubditum priuatiuè quoad alios cognoſcere, cùm ad ipſum ſolum ſpectat talis cognitio, quæ naſcitur ex aliqua qualitate inſita in ſubdito, quę illũ tali Iudici, & non alij ſubditum reddat. Quod certè nullam patitur controuerſiam. Hinc fit, ſi in aliquo multę reperiantur qualitates, quæ multis illum faciant Iudicibus ſubditum, nullum ex his dici eſſe Iudicem priuatiuè reſpectu perſonæ ſibi ſubditæ, ſed tantùm reſpectu illius qualitatis, & ratio euidens eſt, quià his caſibus, licèt vna ſit perſona ſubdita, multæ illæ qualitates eam diuidunt quoad recognitionem, *ad text. in l.tutorem* 22.*ff.de his, quæ vt indignis*, ac proindè reſpectu vnius qualitatis erit ſubdita vni Iudici priuatiuè, reſpectu alterius alteri, & ſic quoad alias, quod videtur fuiſſe de mente *Abbatis in cap. cæterum, num.6. de iudicijs*, quando dixit, *quando reſpectu certæ cauſæ per legem ciuilẽ iuriſdictio attribuitur vniuerſalitèr alicui, quod talis etiam comprehendit clericos actiuè, & paſſiuè, in quibus viget* Reſponſio.

illa

illa qualitas, ſuper qua fundatur iuriſdi-ctio etiam in præiudicium ordinariæ iuriſ-dictionis Epiſcopi: hocque ad maiorem claritatem patet exemplo: Ponamus quæſo aliquem, qui plures artes exer-ceat, quarum quælibet ſuum dignoſcat Iudicem: non vtique dicemus, hunc poſſe ab vno Iudice priuatiuè quoad alios recognoſci quoad omnes artes, quod ſaperet implicantiam, ſed benè poterit quilibet Iudex illum delin-quentem in quauis arte reſpectiuè ple-ctere priuatiuè quoad alium, qui illius artis Iudex non ſit; & tamen vna eſt perſona: quoniam verò non vna eſt qualitas, tot poterunt eſſe Iudices pri-uatiuè, quot ſunt qualitates.

Et ex his deducitur, licèt Iudex huius de-linquentis, ſi eum abſque qualitatibus velimus conſiderare, ſit ille domicilij, vel originis, vel loci commiſſi criminis *l.2.C.de iuriſdict. omnium iudicum l.in-cola 29.ff.ad municipalem, l.hæres abſens §.ſi quis tutelam, & §. proinde in verſ. debebit,ff.de Iudicijs, vbi Gloſ. l. non eſt dubium, §. illud ff.de cuſtodia reorum l.ſi cui §. idem Imperator, & l.fin.ff.de accu-*

ſa-

ſationibus, l.3. in principio, ff. de re militari, authentica quæ in prouincia, C. vbi de crimine agi oporteat c.1. de priuil. in 6. canone de illis 6. qu. 3. c. licet ratione de for. compet. vbi *Fagnā. n. 2. Petrus Barboſa in art. de foro delicti, Carleual. de Iudic. tō. 1. diſp. 2. quæſt. 2. num. 48. Capiblancus de Baronibus tom. 2. cap. 62. num. 1. & Fragoſius in regimine Reipublicæ Chriſtianæ, par. 1. lib. 5. diſp. 10. §. 1. num. 107.* ſeruata inter eos prçuentione, vt Doctores loquntur relati à *Guidone Papa deciſ. 202. num. 3. de Franchis deciſ. 129. & 505. Riccius deciſ. 182. num. 9. & in deciſ. 111. par. 1. Guazzinus ad defenſam Reorum defenſ. 1. cap. 17. num. 34. Follerius in pract. crim. 1. part. 2. partis sub. audiantur excuſatores, num. 108. Caraccio-lus de fori priuil. remiſ. qu. 11. numer. 1.* cùm tamèn illum cum ijs conſideramus qualitatibus, quæ illum reddunt ſubditum certis iudicibus priuatiuè, nullam eos Iudices ſuperiùs enunciatos in eum habere iuriſdictionem, & tamèn illi dicuntur Iudices naturales delinquentiū, hocq; item patet exemplo; etenim demus ſubditum alicui iudici, qui ſit Iu-

dex

dex, vel domicilij, vel originis, vel loci commiſſi criminis; fiat deindè miles, quærerem ego, à quonam eſſet hic priuatiuè recognoſcendus? omnes reſponderent, à Iudice militibus ſtatuto; nec obſtabit, illum anteà fuiſſe naturalitèr ſubditum tribus illis Iudicibus, qui deindè ex aliqua qualitate ſuperuenienté non ampliùs erunt competentes: demus etiam laicum delinquentem, qui à natura ſubditus eſt iudici ſeculari, & per conſequens recognoſcendus eſt à ſuo Iudice naturali, fiat deinde Clericus, certè, ſi delinquat, ab Eccleſiaſtico recognoſci debet: patet igitur, Iudices naturales deperdi mutatione ſtatuum, cùm adeſt incompatibilitas, vt perpendit in ſimili *Nicolaus Rodriquez Fermoſinus ad tex. in cap. 1. quæſt. 3. num. 13. de foro competenti*, adeòque à fortiori dicendum, cùm poteſt compatibilitas cõſiderari, poſſe ſubditum plures Iudices naturales habere reſpectiuè ad ſtatus, & qualitates, quę, licèt inter ſe compatibiles, quià tamèn diuerſæ ſunt, nequeunt vnum dignoſcere Iudicem, ſed debent neceſſariò plures, vt deducitur

ex

ex cap. cum capella, de priuil. vbi Gloſ. 1. & Fagnan.

His ità ſuppoſitis, non dubitatur, quin clericus, quemadmodum ante clericatũ erat naturalitèr, & fortè naturalius, quià propriè à natura, ſubditus Iudici ſeculari, ità poſt clericatum ſit ratione talis qualitatis ſubditus Iudici Eccleſiaſtico, & propriè Ordinario illius loci propter rationes variè à Doctoribus aſſignatas, & relatas *à Petro Barboſa in commentarijs ad interpretationem tituli, ff. de Iudicijs l. 1. art. 3. n. 198. cũ ſeqq. Carleu. de iudic. lib. 1. tit. 1. diſpoſit. 2. qu. 8. ſect. 2. nu. 1079. cum ſeqq. & Fermoſino in cap. 1. quæſt. 4. nu. 4. cum ſeqq. de foro comp.* non indè tamèn fit, vt, quemadmodùm potuit ceſſare Iudex laicus per ſuperuenientiam clericatus, ità etiàm nequeat ceſſare ordinarius per ſuperuenientiam alterius qualitatis; hocque euidens eſt; nàm, ſi iſte clericus fiat Epiſcopus, ordinarius illius loci non erit amplius ſuus Iudex, quià ex mutatione qualitatis perſonæ mutari debent iura, & attenditur qualitas ſuperueniens perſonæ, tempore quo tractatur de illa, vt ſcribit

Alber. Brun. in conſ.91. col.1. inter feudalia. Non igitur valet hoc argumentum. Eſt Iudex naturalis, ergo per ſuperuenientiam alterius qualitatis non poteſt ceſſare.

Vndè, quemadmodum poteſt ceſſare per ſuperuenientiam alterius qualitatis, quæ ſit incompatibilis quoad recognitionem reſpectu primęui Iudicis, ità etiàm à fortiori non implicabit, vt in ſubiecta materia loquamur, clericum plures habere qualitates, quæ illum cōpatibilitèr pluribus reddat Iudicibus ſubditum, inter quos ſit cognitio priuatiue reſpectiuè ad qualitates.

Quę ſi clara ſunt, iam inſpicimus ſolutas obectiones; nā clericus ſubditus naturaliter ſit ordinario loci, quià, quēadmodū, ſi Epiſcopus crearetur, illū hæc qualitas à tali Iudice eximeret ratione incōpatibilitatis reſpectu recognitionis, ita, quià ratione muneris ſe ſubditum fecit Rectori Academiæ ſtudioſorum, duplicem habebit Iudicem priuatiuè, ordinarium ſcilicet reſpectu rerum, quę Academiam non tangunt, Rectorem verò reſpectu rerum ad Academiam ſpectantium, quę

H duę

duæ recognitiones non important, vt vidimus, incompatibilitatem, nec iuri canonico repugnantiam, cum, illo attẽto, poſſit clericus cognoſci à diuerſis Iudicib. varijs ex cauſis, & qualitatibus, vt *in cap. volentes* 1. *de priu. in* 6. *cap. per tuas, de maior. & obed. cap. ex parte de for. comp. gl. in cap. tuarum de priu. in verſ. priuilegij, Abb. in cap. ſi quis contra numer.* 46. *de for. comp. & Hoſt. in cap. quoniam num.* 2. *& in cap. ex ore num.* 11. *de priu.* ſicuti etiàm videmus, clericum, ne dum ratione feudi ſubijci domino feudi priuatiuè quoad ordinarium, vt ſentit *Abb. in cap. cæterum n.* 6. *de iudic.* concludendo, *ſi enim Laicus eſt dominus feudi, habet iuriſdictionẽ, vt hic, etiam ſi vaſſalli ſunt clerici, & in eos exercetur iuriſdictio per dominum feudi, remoto Epiſcopo loci,* quẽ ſequitur *Felinus in c. Paſtoralis n.* 3. *de off. ordin.* & vide *Afflictum in cap.* 1. §. *præterea ſi inter, num.* 25. *de proh. feud. al.* per *Fed. Schraderum de feud. par.* 10. *ſect.* 1. *num.* 117. *& ſeq. Bal. in cap. quæ in Eccleſiarum nu.* 21. *de conſtit. cl. cap. cæterum, & cap. nouit, de iudic. cap. verum, cap. ex tranſmiſſa de for.*

comp. & Gram. deciſ. 30. & nouiſſimè *Proſper Fagnan.in com. in* 2. *libr.decr.in d.cap.cæterum num.*6. & 7. qui ſubdit, *hoc caſu dominus feudi etiam laicus dicetur Iudex ordinarius clerici*, & idē repetit *in c.verū n.*70.*de for.cōp.*Sed etiā ratione adminiſtrationis rerū ſecularium fori priuilegium deperdere, vt probauimus in noſtro Cæſare vindicato,*cap.* 1.*num.*1.& 8. quo caſu clericus poteſt à Iudice laico cognoſci,& puniri,vt cōcludit *Fragoſius de regim.Reip.Criſt.par.* 1. *lib.*2. *de obligat. Moderat. Reip.ſecul. diſp.* 4. *de legibus ſecul.* §.4.*membro* 15. *num.* 376.imò vinculis alligari, vt ſentit *Marta de iuriſ.par.*4.*caſu* 116.*n.*11. *cum Io: Andr.in cap.*1.*de depoſito nu.*2. Quam concluſionem alijs terminis parum diuerſis firmauit *Abbas qu.* 6. *poſt nu.*9. cum dixit,*Vndè diſponitur, vt prætextu militiæ, vel alterius dignitatis non poſſit quis declinare iuriſdictionem Rectoris; & tamen certum eſt, quod Vniuerſitas nō habet iuriſdictionem in milites, cum habeant proprios Iudices, vt in l.cum magiſtri C.de iuriſdict. omnium Iudicum, ſed ex quo exercent illam profeſſionem, ſeu*

ne-

negotiationem, iura ſubmittunt eos Rectori quoad iſtam profeſſionem, ſeu negotiationem, diſtinctione fori non habita, ità poteſt eleganter inferri ad propoſitum noſtrum, quod, licèt clerici dicantur milites, & habeant proprios iudices; tamen, ex quo exercent hanc profeſſionem ſtudiorum, iura ſubmittunt eos Rectori Collegij quoad illam profeſſionem. Et fortè hoc ſentiunt Bart. & Bal. &c.

Hinc iure optimo, & ſi regulare ſit, in prima inſtãtia ad Epiſcopũ cauſarũ omniũ Eccleſiaſticarum cognitionem pertinere, nec illi adimi poſſe, *ex Gloſſ. in c. perlectis §. ſollicitudo verſ. Iurgia in fine 25. diſt. can. ſcriptum 6. qu. 1.* attamen ſunt multi in iure caſus, qui etiam in prima inſtantia ad alios eccleſiaſticos iudices ſpectant, & non ad ordinarium loci, & *Nicolaus Rodriquez Fermoſinus in c. 1. quæſt. 3. num. 5. de for. comp. poſt Auguſtinum Barboſ. de off. poteſt. Epiſc. par. 3. alleg. 81. num. 10. & in appendice nu. 8. & Eraſmũ à Chokier in tract. Iuriſdict. ordinariæ in exemptos, par. 2. quæſt. 104. tom. 2.* pro intellectu *dict. cap.* & decla-

claratione *Trid. in cap. 20. ſeſſ. 24. de refor.* treſdecim tranſcribit limitationes regulæ prædictę, inter quas notat *n.* 15. *Vndecimò declarari, & limitari Tridentini decretũ dicunt multi, quando conſuetudine, quę hominum memoriam excedat, inductũ ſit, vt coram alijs, quàm locorum, Ordinarijs, cauſæ omnes ad forum Eccleſiaſticum pertinentes tractentur, ita Narbona in l. 59. tit. 4. lib. 2. recopil. Gloſ. 1. num. 240. vbi refert, idem fuiſſe declaratum à S. Cardinalium Congregat. & apparere ex 4. tom. deciſ. nouiſſimarum diuerſorum in d. cap. 20. Trident. d. ſeſſ. 24. de reformatione, in verbo cauſę matrimoniales, refert eas omnes declarationes Garzia de beneficijs 3. par. cap. 2. n. 194. & 195. & ſæpe fuiſſe per Rotam canonizatas, & obſeruatas docet Gonſales in regula* 8. *Cancellariæ Gloſſ.* 33. *num.* 5. *& alter Narbona in tractatu de appellatione à Vicario ad Epiſcopum* 2. *parte fundamẽto* 3. *num.* 10. *ad finem, nec obſtare Concilium in dicto cap.* 20. *quatenus ſuſtulit omnes conſuetudines in contrarium ibi, & alijs conſuetudinibus; Nam reſpon-*

pondetur, non ideò cenſeri ſublatas conſuetudines immemorabiles, de quibus Congregatio Cardinalium cenſuit. Sequitur poſtmodum *Fermoſinus* ſic inquiens *n. 16. Duodecimò videtur limitari, nam ſtudentibus vnicus Iudex datus eſt, Rector videlicet, aut Cancellarius, ad quem tanquam ad ſuum Iudicem ius reuocandi habent, & ſi alibi conuenti ſint, ita deprehenditur ex conſuetudine Federici in authentica, habita, ne filius pro patre, tum ex particularibus cuiuſcunque academiæ priuilegijs, & bullis, quod ex l. Regia quaſi ius commune Regium reputatur, plura Zangerius de exceptionib. 1. par. cap. 1. num. 124. copiosè ex adductis ab Oſſualdo ad Donellum lib. 17. Com. c. 20. lit. K. Barboſa in cap. ex parte 15. hoc tit. quòd eſſe verum in ſtudentibus vniuerſitatum, veluti Salmantina, Valliſoletana, & Complutenſi, etiam ſi clerici Rei ſint.* Et poſtmodùm *num. 18. vide hic Felicianum, & Felinum numer. 3. vbi dicit, quod Rector ſtudij, etiam ſi laicus ſit, eſt Iudex competens clerici in concernentibus ſtudium, vide infrà cap. 5.*

qu.

quæſt. 12. *in fine*, & *Granam ibi in cap. cum contingat hoc tit.*

Et ex his deducitur, cur quandoque derogatum non cenſeatur ordinarij iuriſdictioni, ni cum clauſula expreſſa, quæ huiuſmodi derogationem exprimat; etenim euenit id, quià fortè aliàs abſque tali clauſula poſſet ordinarius clericum illum recognoſcere, dum non haberet qualitatem aliquam, quæ illum ſpecificè ab ordinario eximeret, vt obſeruamus quotidie in omnibus exemptionibus, quæ fiunt, & ratio fundamentalis eſt, quià exemptus non haberet ex ſe per illam exēptionem Iudicem aliquem priuatiuè ad ordinarium. Sed in noſtro caſu id euenire non poteſt, cum ſtudioſi Iudicem habeant ad id à lege deſtinatum, quem Rectorem appellamus auctoritate Pōtificia comprobatum. Vndè nulla alia requiritur clauſula, ad hoc, vt ſit priuatiuè ad ordinarium, vt colligimus ex *Barboſa part.* 3. *alleg.* 124. *nu.* 5. & 11. *verſ.* 5. *limitatur*, quæ clauſula tantùm in ſpeciali caſu ponitur à Summis Pontificibus: ſicque longè diſtat

exem-

exéptio,quę fit à lege generali ab exép-
tione,quę fit ex ſpeciali ſuſpenſione ab
homine, qui nũquam alicui diſpoſitio-
ni derogare cenſetur, ni id exprimat,
quanquàm,valere etiam exemptionem,
quę fit ab homine, & ſi careat clauſu-
la, *non obſtante ordinarij iuriſdictione*,
ſuſtinuerit *Felinus in cap. nonnulli n.* 11.
cum ſeqq. de reſcrip. eamque opinionem
tacitè ſequi videtur *Abb. in cap.* 1. *n.* 8.
12. 15. *eodem tit.* & his apertis verbis *Pa-
riſius in conſ.* 22. *num.* 8. *vol.* 4. *Nec erat
neceſſe in dictis priuilegijs exemptionum,
quod fieret mentio de iuribus ordinarij, cui
infertur præiudicium; nam ipſa talia pri-
uilegia derogant ordinarijs: quia priuan-
tur iuribus ipſorum, & priuatio præſup-
ponere debet habitum, vt tradit Gloſſ. quā
ſequuntur ibi ſcribentes, maximè Abb. cap.
olim &* 1. *de priuil. Io: Andr. Cald. Abb. c.
dudum in pr. eod. Decius conſ.* 150. *col.* 1.
verſ. & præſupponendam. Et ratio eſt,
quia, cùm Papa reſcribit per modũ pri-
uilegij, nihil refert, ſi clauſula, *non ob-
ſtante*, non adijciatur, vt optimè conclu-
dit *Eraſmus à Chokier loc. cit. par.* 1. *qu.*

11. *numer.* 5. *&* 6. *tom.* 1.

Et certè turpè eſſet, ſi ordinarius poſſet in perſona plectere clericum ſtudioſum, quia clericus eſt, cum potius Rector deberet Clericum plectere, quià ſtudioſus, quoties delictum eſſet ratione ſtudij patratum, quemadmodum ordinarius clericum puniet ſtudioſum, ſi is deliquerit in alijs, quę ſtudia non concernunt; aliàs vel iuriſdictiones confũderemus, vel ordinarium appellaremus Rectorem ſtudij, dum crimina ratione ſtudij commiſſa cognoſceret, &, quod peius, illum vocaremus Iudicem priuatiuè ad Rectorem, qui nequiret talem delinquentem ſtudioſum in perſona plectere: quod quã abſurdum ſit, quiſq; videt.

Patet igitur, Rectorem ſtudioſorum poſſe eos plectere in perſona priuatiuè ad ordinarium, cùm crimen patrarunt Academiam literariã reſpiciens, quod non ſolùm certum eſt ratione officij, ſed etiam ratione taciti conſenſus ordinarij; etenim nouum non eſt, ex tacito ordinarij conſenſu poſſe cleri-

cum alterius Iudicis eccleſiaſtici iuriſdictionẽ prorogare, vt *Petrus Barboſa in com. ad interp. tit. ff. de Iudic. ad l. 1. art. 3. nu. 180. cum ſeqq. Felinus in cap. ſignificaſti 18. num. 5. de for. comp. & Fermoſin. in cap. 1. qu. 5. de for. comp.* & conſequenter etiàm Academici Iudicis eccleſiaſticam iuriſdictionem *ex l. ſi qui ex conſenſu C. de Epiſc. Aud. Barboſa cum pluribus in d. l. 1. art. 3. num. 133. adductus ab Eſcobar loco cit. cap. 27. num. 30. & 10.* qui tacitus certè conſenſus in caſu noſtro non deficit, cum ordinarius ſciens, in ſua diœceſi adeſſe Academiæ Pręfectum, qui clericos coerceat, ad idque eſſe ſtatutum, nunquàm procurarit, vt clerici delinquentes ad ſe remitterentur; imò vlla abſque ordinarij oppoſitione fuerint à Pręfecto carceribus emãcipati: hęcque tolerantia eò fortior videtur, quòd ordinarius idem ſine vllo impedimento permiſerit, vt clerici ſtudia frequentarent, vt conſiderarũt *Carleual. de iudic. lib. 1. tit. 1. diſp. 2. quæſt. 8. ſect. 2. num. 1075. & Fermoſin. in cap. 1. quæſt. 5. num. 2. cum ſeqq. de for. comp.* nam

eo ipſo diſpẽſaſſe videtur ſuper his, quę ſequuntur ad illud, *l. quidam conſulebat ff. de re iudicata l. imperiali §. ſi miles C. de nuptijs Io: Cald. in cap. ſi diligenti, de for. comp. Abb. quæſt. 6. num. 7.* ſicque permiſſio frequentationis ſtudiorum cum tolerantia pœnarum à Pręfecto clericis inflictarum iuriſdictionem Pręfecti aliàs capacis, quià eccleſiaſticus, euidentèr prorogauit. Hæcque permiſſio, & tolerantia, non eſt per modum ſimplicis conniuentiæ, ſed per naturalem rationem, cum nequeat ordinarius ſtudij frequentiam clericis prohibere, ſtante Academia à Summis Pontificibus comprobata, *vt ex cap. 2. ne Cler. vel Mon. in 6. cap. ſuper ſpecula ne Cler. vel Mon. Eſcobar loc. cit. cap. 21. nu. 116. cum ſeqq.* cum certum ſit, comprobationem hanc tanti eſſe roboris, ne dum, vt excludere valeat Prelati licentiam ad prorogationem iuriſdictionis, vt ſentiunt *Eſcobar cit. cap. 21. num. 113. & Socc. in cap. ſignificaſti, num. 43. & in cap. fin. nu. 90. verſ. quantum verò ad magiſtrum, ſeu Rectorẽ de for. comp.* ſed etiam, vt totã ordinarij

iuriſ-

iuriſdictionē in Rectorē tranſlatā eſſe, dicendum ſit, vt deducitur *ex Bal. in auth. habita C. ne filius, Specul. de actore verſ. item excipitur. Alex. in addit. ad Bart. in l. fin. de colleg. illic. nu. 3. lit. P. Ancar. in reg. ea quæ quæſt. 16. de reg. iur. in 6. Zacharias in not. ad Abb. in c. 1. de loc. lit. D. Marta de iuriſd. 4. par. caſu 39. num. 6.* & conferunt dicta *Alphonſi Eſcobar in cit. cap.* 21. dicentis intèr cetera *nu.* 110. *quia reſpectu Clericorum Pontifex potuit ſcholarum Magiſtrum in vniuerſa Eccleſia iudicem facere.* Prout verè facit per approbationem, quæ efficit, vt Academia cenſeatur fundata, & legibus munita immediate ab ipſo Pontifice, vt annuit Iuſtinianus in ſimili, *in l. 1. §. ſed neque C. de vet. iur. enucl.* inquiens, *omnia enim meritò noſtra facimus, quia ex nobis omnis eis impartietur auctoritas.* Quibus ſic ſe habentibus, dubitandum non eſt, quin Rector à Summo Pontifice comprobatus tanquàm Rector poſſit priuatiuè ſtudia regere, omniaque, quę ad huiuſmodi regimen ſpectant, tractare. Et certè intèr hæc quàm maximè conſideratur pœnę inflictio delin-

quen-

quentibus, qui, ſi quoad priuationem muneruum tantùm coerceri valerent, Rectorem illuderent potiùs, quàm venerarentur, dum non aliud ab eo timerent, quâm munerum priuationem, qui timor nō efficeret, vt à delinquēdo abhorrerent, dum eam prorsùs iuriſdictionem haberet Rector, quam quiſq; habet in famulos, qui, non benè ſeruientes, dimittuntur.

Sique dixeris, poſſe his caſibus pœnā infligi ab ordinario, ratio ipſa respondebit, congruentiùs infligendam à Rectore, ad quem ſtudij regimen ſpectat, quā ab ordinario, qui nullam in ſtudijs iuriſdictionem exercet.

Præterea ad vberiorem reſponſionem aduertendum eſt, ſub nomine ordinarij venire, non modò Epiſcopum, ſed etiā quoſcunque Prælatos Epiſcopalem iuriſdictionem habentes, & comprehendi in diſpoſitione concilij Tridentini, *cap. 20. ſeſſ. 24. de reform.* vt his verbis reſcribendis ait *Fermoſin. loc. cit. qu. 3. num. 3. appellatione ordinarij non tantùm Epiſcopos in ſuis diœceſibus, & eorum vi-*

vicarios, & capitulum ſede vacante, & eius Vicarios comprehendi, quod eſt regulare, & commune placitum ſcribentium in d.cap.20.Trid. videndus Narbona in d. l.59.cum multis à d.num.50. Barboſa in paſtorali 3.par.allegat.81.cum multis nu. 5.& 6.verùm etiam plerumque in materia adaptabili alios etiam inferiores Prælatos comprehendi, Felin.in cap.poſt ceſſionem, de probationibus, Gratian. vbi ſupra d.cap.112.diſcept.forenſ.num.31.& 38. ſequitur Flores de Mena lib.1.practicarum cap. 24. num. 6. vbi dicit, Abbates exemptos, qui iuriſdictionem habent, ordinarios vocari, & omnimodam iuriſdictionem Epiſcopalem habere in locis ſibi ſubiectis, itaut inter eos, & Epiſcopos differentia nulla conſtitui valeat, cũ alijs multis Narbona vbi ſupra à num.63. Barboſa d.allegat.81. num.4.ex dictis nu.7. vbi probat, poſſe Abbates, licèt non ſint exempti, & alios, quibus olim, vel ex præſcripta conſuetudine, vel alio priuilegio clericorum ſuæ Eccleſiæ, vel cumulatiuè cum ordinario, vel priuatiuè cognoſcere competebat, etiam hodiè, non obſtante Con-

cilio

*cilio in Domino cap.20. d.ſeſſ. 25. Trid. eadem vti Iuriſdictione, cum concilium generaliter loquatur de iuriſdictione ordinaria, & iuriſdictiones Abbatum iuſto titulo, & iure, etiam ordinariæ cenſeantur cum Nauar. conſ.2. hoc tit. de for.comp. in antiquis & cum alijs Narbona vbi ſupra num.*191.

Quod anteà etiam explicuerat *Eraſmus à Chokier in tractatu de Iuriſd. ordin. in exemp.par.*1.*qu.*1.*n.*9. *tom.*1.dicendo, *at vero nomine ordinarij non tantum comprehenditur Epiſcopus, ſeu diœceſanus, cap.cum Epiſcopus de offic.ordin.in* 6.*cap.* 1.*& toto titulo de offic.ordin.cap.cum contingat.de for. compet. can. de perſona* 11. *qu.*1.*ſed etiam quicunque alius, ſeu ſuperior, ſeu inferior, qui ordinariam iuriſdictionem habet canone, præſcriptione, vel priuilegio, Nauarrus conſ.*9. *de priuil. Zabarell.clem.quia regulares n.* 11. *verſ. octauo quæro de ſuppl. negl. Præl. Felin. in reper. verbo Ordinarius in iſtud verbum fol.*87.*col.*3. *Flamin. de reſig.benef. lib.*3.*qu.*11.*Dec.conſ.*121.*Abb.c.vt famæ nu.*6.*de ſent.excom.Bellam.conſ.*30.*Mi-*

ſing.

ſing.cap.poſt ceſſionem n.2.3. & 4.de probat. *Ideò,ſi concilium Trid. vel Pontifex committat aliquid ordinarijs, id non modò commiſſum cenſebitur Epiſcopis, ſed etiam cuiuſuis ãtetactæ ſpeciei ordinarijs. Flamin.d.quæſt.11.Nauar.conſ.11.de clandeſt.deſponſ. Miſing.d.cap.poſt ceſſionem*. Et confirmando poſteà idem addidit allegatus *Barboſa in appendice ad cit.allegat.81.num.4.*

Quare ex his Præfectus Academiæ noſtræ dicetur vtique ordinarius ſtudioſorum, tanquàm Prælatus Eccleſiaſticus iura Epiſcopalia habens,& tanquàm Rector Iuriſdictionem habens omnibus ex cauſis prædictis, vt annuere videtur *Abbas in cap.ſi quis contrà num.49.de for.comp.* cùm ſcripſit, *iſti vero Prælati inferiores, qui præficiuntur collegio, habent ordinariam illorum de collegio iuriſdictionem C. de iuriſd.omn.iudic.l.fin.* Et ex his colligitur, veras eſſe tredecim illas limitationes, quas *Fermoſin.* tradit regulæ illi, quæ vult, vt Clericus conueniendus ſit coràm proprio Epiſcopo, non autèm coràm alijs. Quod in caſu,in quo ver-

ſantur, euidentiſſimè iuſſit Concilium Trid. *in ſeſſ.24. de reformat. c.6.* vbi, poſtquam decreuerat, vt clerici in cauſis Eccleſiaſticis coram Epiſcopo conuenirentur; hęc ſubdit, *ſaluis tamen in omnibus, priuilegijs, quæ Vniuerſitatibus ſtudiorum generalium, ſeu earum perſonis ſunt conceſſa*. Quibus ſanè verbis videtur reſeruata ſtudij Pręfecto iuriſdictio, quam in clericos habebat ordin. vt obſeruauit *Marta de iuriſdict. par.4. cent.1. caſ.39. num.5.* quia hoc procedere aduertit, cũ ſtudij Pręfectus eſt Clericus.

Et hinc notandum, eſſe abſque fundamento, & diuinatiuam limitationem, quę fortè dari poteſt Concilio, ſi diceretur illud loqui reſpectu illius iuriſdictionis competentis Vniuerſitatibus, ſeu earum perſonis, quę clericorum perſonas non tangat, ſed alia, puta earum dignitates, quibus priuari poſſint, bona, quæ ſumi valerent &c. cum id Concilium non explicet; vndè cum ſalua vult in omnibus priuilegia, omnia includens, nihil excludit; cum prætereà nouum non ſit, licèt Epiſcopo in ſua diœceſi priuatiuè

competat iuriſdictio in ſuos ſubditos *can. nullus 9. qu. 2. cap. paſtoralis de offic. ordin. cap. Romana in princ. de appellat. in 6. Trid. ſeſſ. 24. cap. 20. de reform.* poſſe nihilominus etiam quoad perſonam à cæteris Prçlatis inferioribus cognoſci priuatiuè ad Epiſcopum, vt exempla habemus *in cap. irrefragabili §. exceſſus de offic. ordin. & in cap. dilectis 55. de appellat.* vbi *Abb.* hęc ait. *Nota 2. quod Prælatus inferior citra Epiſcopum poteſt de iure ſpeciali habere iuriſdictionem etiam in criminalibus, in Clericis diœceſis, etiam Epiſcopo excluſo, ità vt non ſit locus præuentioni,* quod etiam idem *Abbas* anteà dixerat in alio caſu, *in cap. cæterum 5. n. 3. de Iudic.* his verbis: *Secundò nota caſum, in quo priuatus, ſeu Prelatus citrà Epiſcopum habet iuriſdictionem ordinariam reſpectu certarum perſonarum, ſeu certarum cauſarum etiam priuatiuè ad iuriſdictionem Epiſcopi.*

ec deſerendus *Fermoſin. in tit. de for. cõp. cap. 1. qu. 1. n. 9.* vbi hęc. *Proprium Epiſcopum dici eum, coram quo quis debet cõueniri, illum ſcilicet, cui cognitio cauſæ de*

iure competit: Balboa hic num. 21. etiam ſi alio nomine, quàm Epiſcopi appelletur, veluti, ſi Abbas, Archidiaconus, ſeù alius, qui iuriſdictionem habet. Vndè venit noſter tex. intelligendus, non ſolùm de Epiſcopis, ſed etiam de quibuſcunque alijs Prælatis Eccleſiaſticis habentibus iuriſdictionem, ita intelligendi ſunt tex. in cap. 1. & cap. ad hæc de officio ordin. & ſic proprius dicitur ad primam inſtantiam Iudex, in cuius territorio res ſita eſt, de qua in cap. 3. hoc tit. & vbi Reus forum habet, & ratione cauſæ de qua agitur, vt in feudis ratione delicti, ex priuilegio, conſuetudine, contractu, aut domicilio, Balboa d. nu. 21. videndus nu. 4. vbi ex Trid. iam hodie ponderat primā inſtantiā maximè reſidere in Epiſcopis, & alijs Prælatis, vſque ad diffinitiuam, & nouiſſimè idem comprobauit *Proſper Fagnan. in cap. ſi quis nu. 14. de for. comp.* atteſtando, *Epiſcopi autem appellatione in caſu huius cap. venit etiam inferior Prælatus habens in loco iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem ex priuilegio, vel conſuetudine, cap. cum contingat, in fine, &* ibi *DD. præſertim Abb. nu.*

18.*infr. eo d. cap. auditis, de præſcr.* & *hoc non obſtante decreto* Concilij *Tridentini ſeſſ.* 24. *cap.* 20. §. *ad hæc*, imò quamuis *Fermoſin. loco cit. numer.* 10. ſubdat, quod Tridentinum *in aliquibus caſibus Epiſcopis ſolis cognitionem conceſſit, ita vt excluderet alios Prælatos inferiores, veluti in criminalibus, & matrimonialibus*; tamen *Fagnan. in cap. accedentib. n.* 27; *de exceſſ. prælat.* doctè contrarium ſuſtinet, poſſe nimirum Abbates, aliosue omnimodam iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes cauſas criminales, & matrimoniales cognoſcere, cum de iſtis non intellexerit concilium ſub nomine inferiorum Prælatorum.

Illud tamèn omittendum non eſt ad euidentiſſimam iurium noſtri Pręfecti cõprobationem, ſcilicèt fuiſſe controuerſum apùd DD. an, poſita Bulla Martini V. qua Lectores Publici Vniuerſitatis Viennæ Auſtrię cuiuſcunque ordinis, gradus, & conditionis ſubijciuntur Rectori eiuſdem Vniuerſitatis, ita vt ab ipſo carcerari, & excommunicari poſſint, regularis, qui de licentia ſuorũ ſu-

periorum publicè profitetur in dicta Vniuerſitate, delinquens aduerſus inſtituta ſui ordinis, & decreta regularium ſuperiorum, puniendus ſit ab ijſdem ſuperioribus, an citius à Rectore Vniuerſitatis, qui valeat illum carceribus mācipare?

Super qua queſtione verum eſt DD. reſpondere, eſſe illum plectendum à ſuis Superioribus, vt videri poterit apùd *Fagnanum in 2. par. lib. 5. decretal. tit. de priuil. cap. quoniàm à nu.* 2. Sed omnes concedunt, vt apùd eundem, contrariam opinionem procedere, cùm agitur de tranſgreſſione circà res ad ſtudium pertinentes, propter quam debebit delinquens Clericus, ſiue regularis, à Rectore ſtudij carceribus mancipari, & plecti, idque, tam attento iure com. quàm Bulla Martini. Vnde, ſi vix controuerſum eſt, an etiàm circà res ad ſtudium non ſpectantes poſſit regularis plecti à Rectore ſtudij, non poſſumus certè dubitare, nec controuertere, an circa rés ad ſtudium pertinentes ſit ab illo plectendus.

Hinc

Hinc tandem patet ex iis, quæ initio diximus, ad exercitium iuriſdictionis in Rectore ſtudij nullo modo conſiderandum territorium, quaſi vellemus, vt delinquentes in illo materiali Academię circuitu tantùm eſſent perſonalitèr puniendi à Rectore, cæteri verò ab ordinario. Nam, ſi agimus de non ſtudioſis, qui caſu per materialem illum circuitũ tranſeuntes delicta patrarẽt, certum eſt, poſſe eos quo ad perſonam plecti à Rectore ſtudij, licèt ſtudioſi non ſint, ea ratione, quia conſideratur Rector tanquàm Iudex loci commiſſi delicti: vnde erit optimè Iudex competens quorumcunque, licèt ſibi non ſubditorum ibi delinquentium, *cap. propoſuiſti, & cap. licet ratione de for. comp. cap.* 1 *.de priu.in* 6 *.cũ.de illis* 6 *.qu.* 3 *.c.* 1 *.de raptorib.§.ſi verò quis comprehenſorum authent. vt nulli Iudic.§.audiant authent.de defenſ. Ciuit. prag.* 1 *.&* 5 *. vbi de delicto de Franch.deciſ.* 37 *. Foller. pract. crim.rub. audiantur excuſatores n.* 151 *.Theſa.dec.* 90 *.et* 266 *. n.* 1 *.&* 7 *.Riccius dec.* 182 *.par.*4 *. & dec.* 132 *.par.*3 *.* Si verò agimus de ſtudioſis, vbi-

Territoriũ quo ad iuriſdictionẽ Rectoris, quomodò conſiderãdum.

vbicunque hi delinquant, debent quoad perſonam cognoſci à ſtudij Rectore non tanquàm à Iudice loci commiſſi delicti, ſed tanquàm à Rectore, qui poterit ſubditos, vbicunque deliquerint, punire, vt colligitur *ex can. frater noſter 16. quæſt. 1. cap. ſicut nobis §. fin. de ſupplenda negligentia Prælatorum*, ibi, *niſi à iuriſdictione tua exemptæ ſint*, & conſonat *text. in cap. cum capella de priuil.* & concludit *Eraſmus à Chokier de iuriſd. ordin. in exemp. par. 4. qu. 32.* nam, cum exemptionis priuilegium ſtudioſorum ſit per viam legis, ſeu in corpore iuris clauſum ac ratione profeſſionis perſonis ſtudioſis, nō ratione loci conceſſum, certè per delictum non amittitur; ità vt, ſi ſtudioſus delictum commiſerit, non poterit à Iudice illo, à quo alioquin exemptus fuerat, puniri, vt docuit *Gloſ. in auth. qua in prouincia verb. priuil. verſ. dic ergo C. vbi de crim. agi opor. cui ſimilis verſ. non conqueritur in l. 2. §. legatis ff. de Iudic. Barboſa in l. 1. par. 1. n. 12. ff. ſolut. matrim.* & latiùs *Couarruuias pract. cap. 11. n. 5.* & *Fagnan. in cap. tuarum n. 5. de priu.* Quinimò poterit Rector ratione

Exemptus delinquēs intrà diœceſim Epiſcopi, non poteſt ab eo puniri.

re-

regiminis ſuos ſubditos legibus ſtudij contrauenientes plectere quoad perſonam,bona, & dignitatũ priuationẽ ex *Pereyra in Academia literaria lib. 2. diſp. 2. qu. 3. nu.* 208. *&* 214. Fruſtra enim diceretur regere ſtudium, ſi aliqua illi deeſſent, quæ ad perfectam directionẽ requiruntur; intèr quæ,vt diximus, eſt inflictio pœnę; dum videmus,regimen politicum Academię, & ſi Principis ſecularis ſit,clericos etiàm comprehendere, vt poſt *Abb. d. qu. 6. num.* 11. *verſ. ſed præſuppono, Soccin. cap. ſi quis clericus nu.* 17. *verſ. dic ergo de for. comp. Roland. cõſ.* 53. *Miſyng. obſer.* 78. *cent.* 4. *à n.* 7. *Gaill. lib.* 2. *de pace publ. cap.* 9. *n.* 11. *&* 14. tradit *Eſcobar de Põt. & Reg. iuriſd. in ſtud. c.* 21. §. 3. *n.* 142. *& c.* 32. *n.* 8. et hoc nedum,quià in iſto caſu nõ de clericis cognoſcitur,ſed de Vniuerſitate ipſa, tanquàm miſtico corpore, vt in ſpecie cõcludit *Bouadil. cum pluribus d. lib.* 2. *c.* 18. *n.* 181. *&* 214. *& Eſcobar loc. cit.* §. 2. *n.* 111. Sed etiàm,quià Clerici ratione politicæ poteſtatis Regibus ſubditi, & eorum politicis legibus obnoxij ſunt; vt

Regimen politicum Academię etiàm in Clericos ſpectat ad Principẽ ſecularem.

ex

ex Salzedo de lege politica cap.7.n.54.& in d.c.7.§.1.n.167. adducto à Fermoſin. ad cap.nouit 13.qu.11.n.14.de for.comp. Ren.Choppin.de Sacra polit.forenſ. lib.2. tit.8.n.30.in fin.& tit.2.n.13.Zeuall.3. tom.in epiſtola ad Regem n. 22. Menoch. cōſ.1000. Vittoria de poteſt.eccleſ.relect. 1.ſect.7.nu.4. Guttierez pract.qu. lib.1. cap.12.n.4. Valaſ.conſult.100. Graſſus de effect.Cler.effect.2.à n. 130. & à nu. 265.Salzedo ad Diax cap.55. Pax de tenuta 2. par. cap.63. n.14. Sot.de Iuſt.& Iur.qu.6.art.7. verſ. cæterum.Molina de Iuſt.tract.2. diſput.31. verſ.6.concluſio, & Pereyra in acad.liter. lib. 5. diſput.2. qu.1.nu.723. cum ſeq.& Eſcobar.loc.cit. cap.22.nu.8.

Quarè territorium quoad iuriſdictionem in genere in nulla eſt conſideratione, ſed conſideratur tantùm reſpectu Principum, ceterorumque Iudicum Vniuerſalium, quibus Ciuitatum adminiſtratio commiſſa eſt, ne alter alterum impediat, At quo ad iuriſdictiones, non implicat, in vna Ciuitate, eodemque territorio plures adeſſe Iudices ad diuerſas

iu-

iuriſdictiones applicatos, prout in dies videmus, in omnibus Ciuitatibus, & potiſſimùm in hac noſtra Neapoli tot Iudices diuerſi generis eſſe, qui ſuos ſubditos coercent; ſique territotium attenderetur, omnes ſubditi M.C. Admiratiæ, Artis Serici, Cæterique, eſſent immediatè ſubditi M. C. V. quod dicendũ non eſt. Si autem velimus, vt his inferioris conditionis ſit ſtudij Rector, non ſecundùm Iura, ſed contrà ea loqueremur. Hecq; ſatìs, ne verè, videamur eam dotem dare, quam articulus tam clarus non meretur.

VA1
1531629

[illegible] applicatio, [illegible] de-
videnatur, in omnibus [illegible], &
potiſſimum in hac noſtra Neapoli [illegible]
Iudices diuerſi generis [illegible]
ſubditos coercent; [illegible]
[illegible] omnes ſubditi M. C. V. [illegible]
[illegible] Arcis Sancti [illegible] in-
mediate ſubiiti M. C. V. quod dicendu
non eſt. Si autem velimus, ut hic ſine
rionis conditionis ſit ſtudij Rector, non
ſecundum Iura, ſed contra ea loquere-
mur. Hec ſolutio vero [illegible]
dotem dare, [illegible]
non moreretur.

Digitized by Google

139
C
72

55
D.30

B
Vitt.
1